P. H. KAPTEIJN.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-HISTORICA

DE

BELLO MARSICO.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-HISTORICA

DE

BELLO MARSICO.

TYPIS A. W. SYTHOFF.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-HISTORICA

DE

BELLO MARSICO

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

C. G. COBET,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET IN FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

In Academia Lugduno-Batava

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

PAULUS HUBERTUS KAPTEIJN,

E PAGO VOORSCHOTEN,

AD DIEM XXIII M. JANUARII A. MDCCCLXIV, HORA II—III.

IN AUDITORIO MAIORI.

LUGDUNI-BATAVORUM,

S. C. VAN DOESBURGH.

MDCCCLXIV.

Parentibus Carissimis.

PRAEFATIO.

Ecce libellus meus, neque *κτῆμα ἐς ἀεί* neque etiam *ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν*, sed, quod fateor et doleo *σῶμα*, uti Lucianus scribit, *ἀκαλλὲς ἔτι καὶ ἀδιάρθρωτον*. Novi equidem non ita conscribendam esse historiam, et requiri insuper, quod rerum gestarum scriptori praecipit idem Lucianus: *εἶτα ἐπιθεὶς τὴν τάξιν ἐπαγέτω τὸ κάλλος καὶ χρωννύτω τῇ λέξει καὶ σχηματιζέτω καὶ ρυθμιζέτω:* sed quominus illi obsequerer praecepto opusque meum pro viribus absolverem, impedimento mihi fuit vita tot muneribus exercita causaeque aliae, quas uti nosse parum tua, lector, interest, ita gaudeo eas non improbari viro gravissimo, cujus sententiam rogavi.

Indulgenter itaque opusculum meum accipe, aeque lector, quod quam parum tuae exspectationi sit satisfacturum, nemo facile melius quam ipse sentio; erit quod gaudio perfundar si industriam meam progressusque tibi probavero.

Nolo tamen hasce pagellas in lucem emittere, quin simul officio jucundo non minus quam sacro, quoad possim, per-

fungar, ut gratum Vobis, viri clarissimi, in hac academia professores, pro omnibus quibus me affecistis, beneficiis testificarer animum.

Quantum tibi inprimis debeam clarissime, COBETE, cui si quid bono in hoc inest libello, hoc debeo totum, quomodo verbis complectar, nescio. Omni enim semper ope nitebaris, ut in antiquorum rectam intelligentiam me induceres, nec minus etiam ut recte cogitandi Latineque scribendi facultate me ornares. Per triennium, quamvis te premerent temporis angustiae, innumeras in me consumpsisti horas, ut et initia palaeographiae mecum communicares et praecipue Graecae linguae cognitione me imbueres. Harum memoria non simili me semper gaudio afficeret, nisi illarum recordationem semper comitaretur cogitatio, quantum absit, ut tuis conatibus ego meis progressibus rite responderim. Sed tu pro tantis in me collatis beneficiis, pro summa, qua meis ubique commodis prodesse studuisti, benevolentia gratias accipe, quas agere possum maximas.

Nec minus grata mente tua de me merita recordor clarissime

DE VRIES. Non solum enim in publicis tuis lectionibus sed in privatis etiam studia mea provehere solebas. Quanta cum voluptate tuas audiebam de lingua Gothica lectiones, quum jucunda utilibus miscens studio umorem excitabas et alebas etiam. Ita enim nobiscum versabaris, ut amicum te potius cum amicis docte colloquentem, quam praeceptorem cum discipulis quis credidisset.

Quid autem tibi dicam clarissime PLUIJGERS, cujus erga me comitatem numquam satis laudavero. Utinam mihi concessum fuisset te praeceptore etiam uti, cujus benevolentiam et humanitatem experiri mihi saepissime contigit.

Nec silentio vos praeteribo clarissimi KAISER, DE WAL et GOUDSMIT; Vobis concedat D. O. M. vitam felicem et diuturnam, ut huic academiae diu sitis ornamento, atque omnibus velit quibus laeta fit sors humana, beneficiis vos cumulare.

Neque vos in academia Rheno-Trajectina professores, quibus per biennium gavisus sum praeceptoribus, praeterire licet, quum ob praeclaram institutionem, tum ob eximiam, qua me prose-

cuti estis liberalitatem. Itaque haec omnia me grato in Vos animo recordaturum esse persuasum habeatis, meque eadem atque antea benevolentia persequamini enixe rogo.

Tandem ad vos venio, commilitones carissimi, quorum hucusque amicitia usus sum. Sensim alius alio proficiscentes per varias regiones sumus dispersi. Ne tamen vincula, quae in communi itinere nos mutuo conjunxerunt, ulla ratione laxentur, sed per omnem deinde vitam firma maneant. Vos igitur felices estote ac valete.

PROOEMIUM.

Quum specimen qualecunque scripturo mihi, uti legi satisfieret, inter multa daretur argumenta optio, prae ceteris me allexit Marsici sive socialis belli descriptio; non quia, aut omnino talia recentiorum deerant scripta, aut multa nova uti de eo scriberem, aut antiquis lucem affunderem (quis enim talia a tirone requirat) futurum, jure sperare poteram, sed quod et obscuritas qua illa Romanae historiae pars premitur dudum iam stimulo mihi fuerat uti accuratius in illam investigarem, et, Livii primariorumqne fontium tantum non omnium interitu, diversissimos adeundos, immo nullum ferme negligendum fore scriptorem, e quo vel tenuissima historiae indicia exspectari possent, undique fore colligenda huius belli fata, praesagiri videretur, haudque ingrati ita operis spes fieret.

Ea me non fefellit. Nam, ut omittam plurima scripta, quae frustra evolverim, interdum accurate nequicquam perspexerim, affluxere mihi tumultus Italici res gestae praecipue e Sisennae et Claudii Quadrigarii fragmentis;

e Ciceronis operibus tantum non omnibus scholiisque Asconii Pediani, Pseudo-Asconii, Bobiensibus, Gronovianis; ex epitomis Livianis; ex Ovidio, Vellejo, Seneca, Valerio Maximo, Plinio, Tacito, Frontino, Floro, Gellio, Eutropio, S. Aurelio Victore, Obsequente, Augustino, P. Orosio, Macrobio. E Graecis Diodorus inprimis Siculus, Strabo, Plutarchus, Appianus, Dio Cassius Coccejanus, Joannes Zonaras subsidio mihi fuerunt. — Quibus fontibus quem in modum usus sim et quam fidem singulis tribuerim, ipsa belli descriptio lectorem, si quem forte libellus habebit, docere poterit; hac praefatione brevissimas observationes cum lectore communicare mihi in animo est, quae ad fontium meorum fidem cognoscendam necessariae visae sunt.

Fontes belli Marsici fuere primarii:

Syllae de rebus gestis suis libri XXII, quibus scribendis ad diem tertium usque ante mortem [1]) operam navavit: quos quum imperfectos ipse reliquerit post dictatoris mortem Epicadius, Syllae libertus calatorque sacerdotio augurali supplevit [2]).

Luculli Graece conscripta belli Marsici historia [3]). Ioco huic et Sisenna et Hortensius proposuerant, uti, Graece aut Latine, numeris inclusa aut soluta oratione, prouti sorte constitueretur, aliquid conscriberet.

Eductis sortibus Graecam Lucullus promisit belli Socialis historiam, quae dein et ab eo scripta et uti vide-

---

[1]) Plut. Sylla. Cap. 37.

[2]) Sueton. d. illustr. gr. c. 12.

[3]) Plut. Lucull. c. 1.

tur edita est, (nam novit eam Plutarchus), barbarismis tamen et soloecismis scatuisse videtur [1]), etsi quid esset et Latine et Graece scribere optime Lucullus calleret. Sylla enim propter eximiam eius harum linguarum scientiam, suos ei de historia libros dedicasse dicitur [2]).

Sisennae temporum Syllanorum descriptio et quae cum hac statim afferenda sunt Cl. Quadrigarii scripta [3]). Dein Valerii Antiatis [4]) historia Romana, ab ovo ad sua tempora. Scripsere de illis temporibus et C. Piso [5]), de quo omnia paene incerta sunt, Posidonius Rhodius [6]) sive Apameensis, Luccejus, belli Italici et civilis scriptor [7]), Atticus (annales) [8]), Sempronius Asellio [9]), Nepos (Chronicorum libri III) [10]), Aelius Tubero, Hortensius [11]), autobiographi Scaurus [12]), Lutatius Catulus [13]) (de consulatu suo et rebus gestis) [14]), Rutilius Rufus [15]).

---

1) Ex industria ita eum scripsisse contendit Cic. ad Attic. I. 19 „uti facilius probaret Romani eam esse hominis."

2) Plut. Syll. 6. Lucull. 1.

3) Gell. XV. 1. Vell. II. 9 etc.

4) Vell. II. 9.

5) Plut. Mar. 45.

6) Bake Dissert.

7) Cic. ad fam. V. 12.

8) Cic. ad Att. XII. 13. Brut. 3.

9) Gell. II. 13. V. 18. XIII. 21.

10) Gell. XVII. 24 etc. cf. Hulleman Diss.

11) Vell. II. 16.

12) Cic. Brut. 29.

13) Tac. Agr. 1.

14) Cic. Brut. 35.

15) Tac. Agr. I. Plut. Mar. 28. Vell. II. 9.

Horum omnia scripta aut plane aut, magna saltem ex parte perierunt, et non nisi e fragmentis, minimi vulgo momenti, cognoscuntur. At mutato nomine permulta horum scriptorum ad nos, per scriptores quos adhuc legimus pervenerunt. Illis enim usi sunt Cicero, αὐτόπτης quidem nonnullarum rerum (Philippic. XII. 11.) sed in plurimis Sisennae, Syllae, aliis confisus (cf. v. c. de divin I: 33, 44), alii, quos singulos enumerare animus est. Vir, cuius prae ceteris merito innotuit historia Romana, T. Livius Patavinus, quibus sit e laudatis fontibus in bello Marsico describendo usus, coniectura tantum assequi licet; verisimiliter autem eas praecipue et historias et biographias adhibuit, quibus res militaris, cuius ipse ignarus est, quam accuratissime sibi exponeretur, eosque secutus est scriptores, qui ipsi affuissent rebus gerendis.

Epitomae Livianae ad bellum Marsicum pertinentia, uti ex earum brevitate par est, de ea re nihil diserte tradunt; sed restant feliciter integrae Liviani operis partes e quibus luculenter apparet, fontes quos enumeravi, primariosque dixi esse a Livio adhibitos in aliis historiae temporibus tractandis. Sic Rutilii Rufi, Aelii Tuberonis, Valerii praesertim Antiatis verba citantur [1]). Certissime itaque eosdem et in bello Marsico secutus est describendo, et Syllae etiam commentarios quin adhibuerit, rei militaris nullo dubio testimonia continentes accu-

---

[1]) Rutilius citatur lib. XXXIX. 52. Aelius Tubero lib. IV. 23. X. 9. Valerius Antias saepissime ut lib. XXV. 39. XXIX. 35. XXX. 19 et 29. XXXII 6. XXXIV. 15. XXX. 2. XXXVI. 19, 38. XXXVIII. 50. XXXIX. 22. XL. 29. XLI. 32. XLII. 11. XLIV. 13. XLV. 40.

ratissima, Sisennae celeberrimum tunc temporis opus et Quadrigarii annales tritissimos, non dubito etsi probare non valeam. De fide Liviana et de momento deperditorum librorum iacturae nihil habeo quod dicam post Niebuhrii verba „Kein Verlust, der uns in der Röm. Litteratnr getroffen, sei mit dem seiner untergegangenen Bücher zu vergleichen" [1]).

Vellejus, quem „praeceps festinatio, rotae pronive gurgitis ac verticis modo nusquam consistere patitur" [2]), quemque per totum opus admonere videtur „promissae brevitatis fides" [3]), quibus fontibus usus sit nescimus. Eadem festinatione, qua multa accuratius quin enarret, impediri sese queritur, permulta „iusto operi" reservat „iustisque voluminibus" quae eheu desiderantur, fontes etiam afferre supersedit [4]). Catonis eum esse originibus, Nepotis Chronicis usum suspicantur [5]). Livianum eum nosse opus apparet e libr. I: 17. II: 36.

Addo hisce Plutarchum. Ille quomodo e Comm. Syllanis excerpserit, quid opus est dicere. Inspicias mihi vitas Syllae et Marii; passim ibi, tum superscripto nomine, tum nullo auctore citato, occurrunt commentariorum illo-

---

[1]) Cf. Niebuhr R. G. Tom. I. pag. 5. De fontibus Livii librum conscripsit Lachmann, Gött. 1822—1828 et programmata duo edidit Meierotto Berol. 1797, 1798. Coelium, Macrum, *Quadrigarium* praesertim ab eo lectos esse conjicit Bernhardy, Röm. Litter. Gesch. pag. 544.

[2]) Cf. Vellej I. 16.

[3]) Cf. Vellej II. 55 collatis II. 41, II. 86, II. 91, II. 114.

[4]) Justus ea signif. Vell. II. 99, 119, 48.

[5]) Cf. Morgenstern de Velleji Fide et Auctor. et Kritz in Prolegom: Edit. Velleji.

rum fragmenta. Magna pars Syllani operis fragmentorum a Krausio [1]) e Plutarcho petita est, De indiciis, quibus multa in Plutarcheis Syllae attribuuntur cf. Kiene, Gesch. d. Mars. Krieges, pag. 233 sqq. [2]).

Appianus quibusnam usus sit scriptoribus, neque ab ipso neque ab alio quodam diserte traditur. — Novit pristinorum scriptorum opera; citatur enim ab eo Cl. Quadrigarius, (cf. ἐκ τῆς Κελτικῆς Ed. Teubn. tom. I. pag. 36) sed certissime et Livianum novit opus et inde plurima derivavit.

Idem fere de Diodoro Siculo affirmare ausim, cujus opera in ea parte historiae, quam tractandam mihi sumsi plane perierunt et ex excerptis tantum Valesii, fragmm. a Majo inventis cognoscuntur.

Raptim et Plinium afferam. De huius scriptoris fontibus paucissima nota sunt. E 2000 scriptoribus ut sua collegerit, ipse auctor est [3]). Si ea premat in rebus naturalibus eius fontium notitiam incertitudo, non mirandum est, in historicis indiciis nos, unde ea sumserit, plane nescire.

Senecam, eius ingenii virum, ut aeterna ei posuerit monumenta Tacitus [4]), Tacitum ipsnm, historicum omni laude maiorem tam pauca nobis de bello Marsico rettulisse vehementer dolemus. Qua erant facultate, e Quadri-

---

[1]) Krause Fragm. et Vitt. veterum historic. p. 290 sqq.

[2]) Syllae et Marii vitae ad meum inceptum pertinuere; de ceterorum fontibus cf. Heeren. Comm. Gött. 1820.

[3]) Cf. Plin. praefat. c. 17.

[4]) Tacit. Annales XII. 8. XIII. 3. 42. XIV. 52.

gario, Sisenna, aliis, maximi momenti res gestas communicare nobiscum potuissent. Utrumque horum logographos, ut ita dicam, Romanos novisse et legisse probari variis e locis potest [1]). — His accenseo Strabonem [2]), quem Syllae usum esse commentariis, ex ipsius opere (Casaub. p. 223) disco.

De Valerii Maximi et Flori fontibus perpauca admodum dicenda habeo. — Quamquam adhuc eo tempore vixerit prior, quo bonos scriptores exspectamus et diligentes, misit ille primariorum fontium scrutationem èt e Livio et Cicerone, e Sallustio praeterea et Trogo Pompejo describere sat habuit.

Non magis laudo Florum, quem speciosis verbis, magniloquentia, futilitate Valerio Maximo unum feliciter inter Romanos omnes parem judicant, quemque diligentius usum esse Virgilio, Horatio, Lucano, Silio Italico, quam Quadrigario, Sisenna, Rutilio, Sylla et dolemus et indignamur simul. — Praecipuus illi in historicis esse videtur fons Livius.

Quam diversus ab illis sit A. Gellius, noctium Atticarum scriptor diligentissimus, facillime cognoscemus si vel unice attendamus ad fontes, quibus ille lucubrationes suas impendit: citat enim et Quadrigarium, Valerium Antiatem, Sisennam, Sempronium Asellionem, Aelium Tuberonem, Cornelii Nepotis Chronica, Syllae commentarios- Immo historica inde quaerit, unde haud facile sine satis magna diligentia quaeri possunt, e Valerio Maximo, Pli-

---

1) Seneca de benef. III: 23, dicit se e Quadrigario hausisse: plures sibi fuisse auctores fatetur de brev. vitae c. 6. — Tacitus Sisennam novit. cf. Hist. III: 51. Dial. 23.

2) De fontibus Strabonis scripsit Heeren, Comm. Gött. 1823. II.

nio, de bello Marsico quaedam e Sallustii Historiis [1]). Victor, (quem appellare malunt viri docti „auctorem anonymum, de viris illustribus) quomodo e Borghesi conjectura scriptum suum confecerit a Niebuhrio affertur (R. G. III: 77). Aliis videtur e Livio sua pleraque derivasse. — Si idem scriptor et de illustribus viris et de origine gentis Romanae scripserit, novit auctor de viris illustribus pristinos historicos. In origine enim gentis Romanae citantur Antias (cap. 4.) Tubero et Cincius Alimentus (cap. 17.)

Venio ad scriptores, quibus vulgo minor quam iis debeatur fides habetur, Orosium dico et Augustinum et si quis hisce par sit. In Marsico bello describendo habet perpauca [1]) alicujus momenti Augustinus, quamobrem hunc mitto, sed quod ad Orosium attinet, cui v. c. a Kienio tam parum fidei tribuitur, ut quae apud eum solum occurrant paene falsa judicet, (Cf. Kiene, pag. 207.), pauca de eo dicenda habeo.

Quum omnia ad bellum Marsicum pertinentia collige-

---

[1]) Lubet locos adscribere, ut ex eorum multitudine de Gelli diligentia judicari queat. Val. Ant. excerpsit III. 8. V. 21. VI. 8. VII. 19. I. 7. VII. 9. Quadr. V. 21. I. 25. II. 19. VII. 11. IX. 13, 14. XVII. 2. I. 16. III. 7, 8. V. 17. II. 2. XVII. 13. XIII. 18, 27. I. 7. IX. 1. X. 1. XV. 1. XX. 6. X. 13. Sisen. XI. 15. IX. 14. XII. 15. Sempr. As. I. 13. V. 18. XIII. 3. II. 13. IV. 9. XIII. 20. Ael. Tub. XIV. 7, 8. VI. 4, 3. X. 28. XIV. 2. VII. 9. Nep. XVII. 21. XV. 28. I. 18. VII. 18. Syll. XX. 6. I. 12. Sallust. II. 27. Plin. XVII. 1. cum 4 aliis locis. Val. Max. XII. 7.

[2]) Descripsit e Livio in libro de civitate Dei secundo cap. 24; e Sallustii Hist., II. 18. Catilin. Bell, ibid.

rem, Obsequentis etiam, Livii epitomatorem puerilem perspexi et miro modo hic illic inveni ejus et Orosii verba congruentia, cujus rei unum dabo exemplum.

Quum de miraculis agatur, quae ante bellum apparuerunt hoc ordine et hisce verbis ea referunt

Orosius &	Obsequens.
1. Sub ortu solis globus ignis a regione septemtrionis cum maximo coeli fragore emicuit.	1. Sub ortu solis globus ignis a septentrionali regione cum ingenti sono coeli emicuit.
2. Apud Arretinos cum panes per convivia frangerentur cruor e mediis panibus quasi e vulneribus corporum fluxit.	2. Arretii frangentibus panes e mediis cruor fluxit.
3. Praeterea per 7 continuos dies grando lapidum, immixtis etiam testarum fragmentis, terram latissime verberavit.	3. In Vestinis per dies septem lapidibus testisque pluit.
4. In Samnitibus vastissimo hiatu terrae flamma prorupit et usque in coelum extendi visa est.	4. Aenariae terrae hiatu flamma exorta in coelum emicuit.
	5. Circa Rhegium terrae motu pars urbis murique diruta.
5. Complures praeterea in itinere videre Romani globum coloris aurei coelo ad	5. In agro Spoletino colore aureo globus ignis ad terram devolutus majorque

terram devolvi majoremque factum, rursus a terra in sublime ad Orientem solem ferri ac magnitudine sua ipsum solem obtexisse.

factus e terra ad orientem ferri visus magnitudinem solis obtexit.

Excerpsit sive potius ad litteram descripsit e Livio Obsequens. Verisimile itaque jam statim mihi videbatur etiam in Orosio ipsissima Liviana inveniri verba. Quam sententiam similitudines inter Orosium et epitomas Livianas auxerunt, enumeratio e. g. populorum qui bello Marsico defecerunt (Liv. Ep. 72. Oros, V. 18) et alia quae enumerare longum est. Quae cum omnia probare videantur Orosium ad litteram Livium descripsisse, fides ejus historica ut sit maxima necesse est. Livium enim non Orosium legimus. Res eodem redit, quo lis illa de Socraticae philosophiae fontibus fidissimis, quam diu inter se viri docti versarunt. Prouti hodie Memorabilia Xenophontis ab omnibus habeantur verissima Socratis praeceptorum descriptio, Orosii ingenii tenuitas mihi testimonio est, fidelissime eum suum Livium descripsisse.

Sed de fontibus meis satis dictum puto. Brevissima tantum a me allata sunt, temporis enim me prohibuere angustiae quominus ea, quae in belli Marsici historia apud scriptores hos illos observaveram, et in ceteris historiae partibus perscrutarer, sic nova de meis fontibus testimonia acquirere conarer. — Sed de tota re absolvere extra propositum erat; haec scripta sunt ne plane a me omissa de fontium auctoritate disquisitio videretur.

CAPUT I.

DE URBIS ROMAE ANNO 91 CONDITIONE.

Si respiciamus temporibus post-Gracchanis rempublicam Romanam, quam ante „aemulae imperii Romani interitum"[1]) ob insignem virtutem omnes miramur et amamus, movet nos vehementissime tristis illa e laetissima condicio et non possumus non inquirere, quibusnam e rebus talia manaverint.

Nemo me judice accuratius perspexit causas, „cur paullatim immutata civitas e pulcherrima pessima facta sit"[2]), Sallustio. Quo enim saepius perlego ejus[3]). „Primo pecuniae, dein imperii cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuerunt," eo magis mihi persuadeo, non tantum vera inesse in Sallustianis illis, sed ad litteram

---

[1]) Sallust. Bell. Cat. 10.

[2]) „ „ „ 5.

[3]) „ „ „ 10.

esse haec omnia tenenda, nec alias ullas exstitisse causas cur in inextricabiles paene sese induerit quasi laqueos respublica.

Quid enim docet ejus temporis historia? Proconsules, propraetores abeunt in provincias, quum insignem pecuniae vim, tum triumphum ex iis petituri. Cujusvis ferme eo tempore belli vel ambitio vel cupido „earum rerum, quae prima mortales ducunt [1])", vera est causa cur aut exarserit, aut initum, incredibilem in modum tractum sit. Neque foris tantum ea vitia grassata sunt sed in ipsa etiam urbe Roma. Quis dubitat an ambitio Gracchos [2]) „avaritia sine modo modestiaque" nobilitatem coegerit, spretis legibus sua consilia exsequi. Sed exempla afferre supersedeo [3]). *Οὐ γὰρ ἄρξασθαί μοι δοκεῖ ἄπορον εἶναι ἀλλὰ παύσασθαι λέγοντι.* Totam rem absolvisse mihi videbor, si utriusque vitii exemplum prae ceteris merito notum, ad aetatem quam volo pertinere ostendero. — At id quidem facillimum statimque apparebit si nomina attulero Jugurthae et Marii, quorum alteri uni inter omnes Romanos, quatenus memoria eos teneam, non dico ambitio, sed *δοξομανία* a scriptore antiquo [4]) objiciatur; alterius et e factis novimus, quam mirum in modum confidere potuerit [5]) avaritiae Romanorum, et verba memoria

---

[1]) Sallust. bell. Jugurth. 61.

[2]) „ „ „ ibid.

[3]) Lysias adv. Erat. D. I.

[4]) Plutarch. in vita Syllae cap. 7.

[5]) Sallust. bell. Jug. passim.

tenemus omnes [1]). „Urbem venalem et mature perituram si emtorem invenerit."

Si ita cum avaritiam tum etiam ambitionem constituerimus horum temporum momenta, facillimum nobis erit condicionem nobis ob oculos ponere reipublicae Romanae tum, quum tumultus Italicus immineret. Summa ope nisus erat C. Gracchus [2]), ut frangeret potestatem oligarchiae. Longa legum series, quibus id assequi conatus est, quae partim plebem allicerent sibique devincirent, partim nobilitatem dividerent, (bicipitem ex una facerent rem publicam [3]) alteramque hujus partem sibi jungerent [4]). At maxima pro parte tribunicias (i. e. suas et si quis post se esset rempublicam administraturus) vires augerent potestate senatui detracta. Ex illis tripartitis itaque institutis, ea tantum post mortem miserrimi C. Gracchi antiquata sunt, quae senatui ille detraxerat sibique futurisque demagogis seposuerat. — Etenim ex institutis ejus semper adhuc senatus provincia remanserat regere rempublicam, at innumeris paene exceptionibus inane nomen id munus evaserat et senatus potestas revera demagogis cesserat. Quum iccirco post Gracchi mortem, qui forti ma-

---

[1]) Sallust. bell. Jug. C. 35.

[2]) Liv. Ep. 60, Plutarch. C. Gracch. c. 3 sqq. App. B. C. I. 21—27.

[3]) Flor, III, 17.

[4]) Equites judices facti propterea quod senatus judicia venalia. Equestris vero ordinis, quem si dicimus avarum penitus novimus, an fuerint minus venalia statim videbimus. Videtur propterea Drusus judicia uni ordini concedere noluisse sed ambobus permisisse, nimirum ut alterius ordinis metus alterum coerceret.

nu rempublicam gubernaret deesset, haec omnia necessario ad senatum relata.

At vigebat ejus lex frumentaria, vectigalia e provincia Asia redibant modo, quo ille instituerat ordinemque equestrem innumeris opibus replebant. Romae idem ordo judiciaria fruebatur et abutebatur potestate. (Tulit quidem Caepio ut iudicia cum senatu communicarentur, sed eam legem antiquavit brevi post Glaucia, pristinusque status restitutus est [1]).

Motus civilis, qui Mario, Saturnino et Glauciae ducibus tam parum prospere cessit, (posteriores enim duo cecidere, at Marii ab eo inde tempore fracta politica ut ita dicam vita), plebi quidem nova quaedam largitus erat beneficia, sed praecipue adversus senatum corroboraverat ordinem equestrem [2]) Mandatum enim collegio ex equitum numero lecto iudicare de direptione sociorum, qua potestate quemadmodum usi sint, docebit [3]) ridicula illa Rufi accusatio

Ex eo inde tempore equites „infinita paene potestate gaudebant" et „tanta potestate subnixi, ut qui fata fortunasque principum haberent in manu, intolerabili impudentia ea abutebantur" sive, quod pro eorum indole idem est „rempublicam peculabantur" [4]).

---

[1]) Cic. Brut. 43. de or. II. 55. pro Cluent. 15. Val. Max. VI. 9. 13.

[2]) Cic. Brut. 62. Verr. I. 9. pro Balbo 24. Appian. B. C. Aurel. Victor. d. V. I. 73.

[3]) Locos de Rutilio collegi; Cic. de or. I. 53. Brut. c. 30. pro Fontejo 13. pro Rabirio 10. Liv. Ep. 70. Posid. apud Ath. IV. p. 168. Flor. III. 17. Val. Max. VI. 4. 4 et II. 10. 5. Vell. Pat. II. 13. Dio. C. apud Val. Diod. Sic. XXXVII. 6—9.

[4]) Plin. Hist. N. XXXIII. 34. Florus III. 17.

Senatus quam parum se huic nefando regimini equitum opposuerit, eidem vitio ac illi obnoxius, et propterea in dulgens peculatui equestris ordinis, ut et sibi impune idem facere liceret, docent rara oppositionis exempla, inprimisque talium conatuum haud prosper eventus. At prae ceteris Drusi historia ostendet, quam altas illae morum corruptelae radices egissent [1] „ex eo tempore, quo non paullatim, sed torrentis modo mores maiorum praecipitati."

M. Livius Drusus, iuvenis quidem [2] e gente nobilissima [3], patris propter virtutem dilecti [4], opum magnitudine cives omnes superans [5], vir fuit, si cum aequalibus componatur, praestantissimus, fide maxima ac qui promissis stabat [6], firmus ac quicquid sibi ob oculos posuisset sine intermissione persequens, superbus [7], eloquen-

---

[1]) Sallust. apud Augustin. d. C. D. II. 18.

[2]) Diod. Sicul XXXVII. fr. 15.

[3]) Diod. l.l. Victor d. V. I. 66. Dio C. fr. 96. Cic. pro Mil. c. 7. Vellej. II. 13. Adde Diod. libr. 37. fr. 14. ubi non illepidam invenimus narrationem: quumenim lex quaedam proponeretur, civis quis exclamaverit „Rata erit haec lex civibus omnibus duobus exceptis Drusis." Sit haec narratio ficta: probat sine dubio maximae auctoritatis fuisse genus Livii Drusi.

[4]) Diod. Sicul. XXXVII. fr. 15.

[5]) Diod. Sicul. l.l. Dio Cass. fr. 96. Flor. III. 17.

[6]) Diod. Sicul. XXXVII. fr. 15.

[7]) „Quaestor in Asia insignibus uti noluit, ne quid ipso esset insignius" Rem probat et responsum datum artifici, qui promitteret, se aedes esse sic compositurum, ut nemo quid in iis fieret conspicere posset: quod his verbis nobis cum communicat Vell. „Tu, si quid in te artis est, sic compone domum meam, ut quicquid agam ab omnibus perspici possit. Cf. Vict. d. V. 1. 66. Vell. Paterc. II. 14.

tia [1]) aequales omnes (Cottam, Sulpicium, Varium ceterosque eius uberrimae aetatis oratores) superans, dignissimus, qui eo tempore senatus esset patronus [2]).

---

[1]) Vict. 66. Diod. S. XXXVII. 15. Vell. II. 13. Cic. Brut. 62. (ita dumtaxat cum de republica diceret). Adde Gellium Noct. Att. XVII. 15.

[2]) Pulcherrimam nobis M. Livii Drusi delineavit imaginem Mommsen. Contendit immo, totam Drusum vitam direxisse ad normam illam „noblesse oblige." Sed multa sunt quae me ab eo dehortentur. Brevissime primum afferam quaedam, quae mihi Mommseniis obstare videntur; dein, quid omnibus diu multumque perpensis, mihi voluisse videatur Drusus dicam et indicabo vestigia quaedam, quae me ad eam perduxerint sententiam.

Si me moneat Victor d. V. I. 66. „(Drusus) Magnesam, Mauritaniae principem ob regis simultatem profugum, *accepta pecunia* Boccho tradidit, quem ille elephanto objecit" et statim post „Adherbalem, filium regis Numidarum, obsidem domi suae sumsit, *redemtionem illius occultam* a patre sperans" vehementer mihi suspecta est „liberalitas" illa „erga pauperes, qui semper ei adhaerebant rogantes" (Dio Cass. fr. 96), neque dubito, quin ex ambitu originem traxerit.

Nobilis non modo viri non est, sed foedissimos arguit mores, quod apud Plinium lego (XXVIII. 41) „Traditur caprinum bibisse, quum pallore et insidia veneni sibi dati Q. Caepionem insimulare vellet.

Invenio praeterea multa, quae hominis „nobilis superbiae (Diod. XXXVIII. 15) non sunt: — nimiam dico illam libertatem, (sive potius contumaciam), quam Druso objiciunt exemplisque (Remmii, collegae in tribunatu, Caepionis, consulis agrariis legibus resistentis, immo erga totum senatum) confirmant Val. Max. IX. 5. 2. Victor d. V. I. 66.

Displicet etiam vehementer modus perquam arcanus, quo cum Italicis egerit. Si revera unicum fuisset Drusi consilium „senatus causam suscipere eique vires acquirere," Italicos civitate donando, sine ulla haesitatione ea cum senatu communicare potuisset et debuisset quandoquidem ausus est senatus nomine promittere civitatem, utque legibus ea confirmaretur (Diod. Sic. XXXVII. fr. 2).

Haec omnia similiaque ita me movent, ut credere vix possim, Drusum iniisse consilia civitati tantum utilia eumque sua commoda civitatis post-

At idem vitiis sui temporis haud modice imbutus, quum avaritia tum praecipue ambitione infinita, cui ita callide omnia postposuit, ut et liberalis videretur et singularis severitatis et, maximum populi favorem consecutus, tribunorum popularium evaserit clarissimus. Quae cum esset Drusi indoles, occasio, qua ambitioni satis-

---

posuisse. Certo et ipse pro se alquid e motibus suis speravit: quod quo magis credam vestigia quaedam efficiunt in scriptis antiquorum: quae pro parte nunc íam monstrabo cetera dein allaturus.

Persuasum mihi habeo Drusi consilia tetendisse ad „illicitos honores." (Verbasunt Tac. Ann. III. 27. qui meae sententiae favet plus quam obstat). Confirmat me omnium scriptorum consensus de infinita ambitione Drusi et inter eos D. Cassius fr. 96, dicens Drusum et Caepionem „*imperii* cupidos," Flor. III. 17. ipsissimis verbis affirmans „dominationis cupidine Drusum Italicos erexisse ad spem civitatis", aliique. — Et quum ita sentiam videor mihi locum intelligere Diodori cujus idoneam aliam explicationem hucusque non inveni. Locus, quem hic indicasse sat habebo, est libr. XXXVII. fr. 19. Quamobrem accedit, magna manu armatorum ad urbem, καλούμενος ὑπὸ τῶν δημάρχων (sive potius ab uno tribunorum Druso) Pompaedius? Idem fere docet Oros V. 18. Drusus Latinos omnes, — quum placita explere non posset *in arma excitavit.*

Tenuissima illa quidem vestigia; sed teneamus, fontes huius periodi omnes paene periisse et praeterea Druso, post leges Livianas abrogatas, tam breve spatium vitae esse concessum, ut in consiliis exsequendis certe non longe processerit, qunm interficeretur.

Unam de duobus scriptoribus addam observationem. Nil me movent et Cicero et Vellejus, quibus unum opus est laudibus perpetuis Drusum celebrare. Vellejus Drusum effert, turpi adulatione erga Tiberium, qui ad Drusum genus maternum referebat. Ciceronis, in laudibus dispertiendis satis ampla est conscientia. Sic. v. c. Scaurus quem in libro de Off. I. c. 30 affert et inintermisso semper laudat Cicero, longe aliter et melius nobis depictus est a Sallustio.

fieret, haud diu fuit exspectanda, sed sponte sese obtulit.

Pergebat enim ordo equester, eodem modo quo Rutilium [1]), alios quoque senatorii ordinis accusare et inter eos M. Scaurum [2]).

Is, quum iis e molestiis sese expedivisset, aperte cohortatus est Drusum ad commutanda iudicia [3]), quam occasionem ille avide arripiens, statim post leges suas ferre coepit.

Largitionis spe plebem allicere conatus, legem frumentariam tulit et, quae maioris momenti est, agrariam [4]). Ferebat enim, ut coloniae in Siciliam Italiamque deducerentur permultae, iam dudum decretae, abductae vero numquam [5]). Earum coloniarum is esset numerus, ut omnis ager publicus in Italia et Sicilia iis occuparetur. Declarat eam rem ipsius Livii sententia [6]) „se nihil ulli reliquisse, nisi quis aut coenum aut coelum dividere vellet."

Uno strategemate ut duos ordines sibi devinciret, iudiciariam tulit [7]). Quum enim senatores propter factionum

---

[1]) Cf. Diss. pag. 14.

[2]) Quem novimus e Sallust. B. J. 15, 25, 29, 49. Cic. Brut. 29 pro Murena 17. pro Dejotaro 11.

[3]) Asconius.

[4]) Appianus B. C. I. 35. Flor. III. 17 etc.

[5]) Auctore Appulejo. App. B. C. I. 28, 29. Victor. d. V. I. 73. Cic pro Balbo 24.

[6]) Afferuntur hae voces parva verborum discrepantia a Flor. III. 17 Vict. d. V. J. 66.

[7]) Vide de iis legibus Vict. d. V. I. 66. Liv. Ep. 71. App. B. C. I. 35.

proelia, numerum 300 vix efficerent, proposuit ut ex equitum numero dignissimus quisque eligeretur, numerus senatorum ita ad 600 augeretur. His futuris senatoribus una cum pristinis iudicia permisit. Adscripsit legi, ut penes eosdem rationes corruptionum redderentur [1]).

Italicis promisit optatam civitatem utque legibus ea confirmaretur. (De foedere quod cum iis iniit nobisque reservarit Diod. Sic. [2]) postea agemus [3]).

Aderat promulgandi dies. Quasi adversus communem inimicum, iunxerat sese magna pars senatus (cui magis placebat antiquus rerum status, quo et facile exercebatur cuiusvis generis rapina et nullus iudex non semper sinebat se corrumpi) equitesque omnes.

Immo consul Philippus [4]), homo vehemens, disertus et

Quaestionem, utrum equites illi venerint in senatum an non, hic dirimere non conabor. Mihi, quum obiter locos illos inspicerem, videbantur venisse in senatum. Ipsissimis verbis id affirmant. App. et Victor. l.l. — Livii (Ep. 71) verba non sunt tam definita (fortasse etiam verba sunt epitomatoris, nullamque ideo habent auctoritatem) ut quae App. dicat falsa esse debeant. Praeterea, si (quod urgent) Appian. sibi non constet, mallem verba οἵ τε ἱππεῖς ὑπώπτευον — ἱππέων περιφέροιτο suspicari, quam ea, quibus bis vel ter utitur narrans equites venisse in curiam.

[1]) Cf. Cic. pro Cluentio 56. pro Rabirio 7. (M. Druso unam in equestrem ordinem quaestionem ferenti „Si quis ob rem iudicatam pecuniam accepisset" aperte equites Romani resistebant.

[2]) Diod. Sicul. XXXVII. fr. 17.

[3]) Vulgo his legibus additur 4a nummaria, auctore Plin. Hist. N. XXXIII. 3." Livius Drusus in tribunatu plebis octavam partem aeris argento miscuit.

[4]) Cic. de Orat. I. 7; III. 1. de provinc. cons. c. 9. Victor. d. V. I. c. 66.

inprimis fortis ad agendum, mentem mutaverat et a parte equestris stabat ordinis; iuxta eum Q. Servilius Caepio [1]), Drusi inimicissimus, vir audax, versutus, ferocissimus, imperii cnpidine ac ambitione insatiabili.

Cum Druso faciebat, praeter M. Scaurum illum, L. Crassus nobilissimus orator [2]): plebs praeterea Romana, semper plaudens legum agrariarum suasoribus; cui tamen non satis confidere ausus Drusus, quum compertum haberet ex exemplo Gracchorum, quam exiguum aut paene nullum auxilium sperari posset tali e socio, alia sibi etiam auxilia paraverat inter Italicos; civitate enim promissa hos sibi devinxerat. Vix itaque in comitium convenerat populus Romanus, de legibus agrariis et frumentariis [3]) suffragia laturus, quum subito innumera Italicorum [4]) apparuit vis ad equites deterrendos et, si ita res ferret, rogationes Drusi vi perferendas. Ausus tamen legibus obrogare consul Philippus, quem Drusus violenter arreptum, a cliente in carcerem abduci iussit [5]). Certe et Caepio eadem occasione sese Druso opposuit: legimus enim „Caepioni mina-

---

[1]) Dio Cass. fr. 96; Flor. III. 17. Plin. H. N. XXXIII. 6. Ibid. XXVIII. 41. Cic. Brut. 62; pro Domo 46; Vict. d. V. J. c. 66.

[2]) Cic. pro Domo 19. Novimus illum praecipue e libris Ciceronis de Oratore.

[3]) Separatim has esse leges propositas efficio e verbis epitomae Livianae 71. „legibusque frumentariis et agrariis perlatis iudiciariam quoque pertulit. Cf. Flor. III. 17.

[4]) Flor. III. 17. Liv. Ep. 71. Diod. Sic. XXXVII. fr. 2.

[5]) Vict. 66. Flor. III. 17. Plin. H. N. IX. 54. Val. Max. IX. 52.

tus (Drusus), se eum esse de saxo Tarpejo praecipitaturum" [1]).

Leges itaque frumentariae agrariaeque vi perlatae [2]).

Violentius certe a factione Philippi et Caepionis restitum est legibus iudiciariis. At quidquid factum est, sunt perlatae [3]) eodem modo quo priores. Putarem itaque retinuisse in Urbe Drusum illam Italicorum multitudinem (sicut in simili re postea saepe factum) eiusque turbae auxilio et has leges esse perlatas. Aperte C. Flavius Pusio, Cn. Titinnius, C. Maecenas, principes equestris ordinis his legibus curiam ingredi recusarunt [4]). Ceteri itaque senatores facti et ab eo inde tempore vigent nova instituta.

Ad potestatis culmen pervenerat Drusus. — At populi favorem consecutus maximum [5]), ita ut in theatrum veniens plausu exciperetur [6]), summa simul odia in se excitavit, quae, numquam intermissa, eo tandem valuerunt, ut totum a Druso erectum aedificium corruerit ipsumque ruinis obtriverit.

Quum enim Italicorum turba, domum redux, ne violenter intercederet, timendum dehinc non esset, statim summo ardore aggressi sunt nova instituta equestris ordinis fautores eaque quovis modo subvertere conati sunt.

---

[1]) S. A. Victor. d. V. I. 66.

[2]) Liv. Ep. 71. Flor. III. 17 etc.

[3]) " " " " " " "

[4]) Cic. pro Cluentio c. 56.

[5]) Vict. d. V. I. 66.

[6]) Plin. H. N. XX, 21 (surgens populus ei plausum dedit).

Primus Philippi conatus repulsam tulit [1]) eumque in modum irritavit consulem, ut in concione conclamare ausus sit „videndum sibi esse aliud consilium; eo senatu se rempublicam gerere non posse [2]).

Senatum convocat Drusus [3]), qui Idibus Septembribus frequens in curiam venit. Ibi, quum multa de Philippo questus esset, retulit de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam graviter esset invectus, sustinente ejus causam L. Crasso, qui, quo gravius exardesceret Philippus illumque coercere institueret, eo vehementius eloquentiusque locutus, ex omnium consensu, quum ceteros semper omnes superaret oratores, eo die se ipsum superavit. — Cycnea illa divini hominis voce et oratione permotus sententiam ejus secutus est senatus frequens,

„Ut populo Romano satisfieret: numquam senatus neque consilium reipublicae neque fidem defuisse" [4]).

Nihilominus paullatim imminuebatur Drusi gratia. Utrumque ordinem sibi devincire gestiens, neutri satisfecerat. Lego eam rem apud Appianum et Victorem hoc fere modo [5]).

„Praeter opinionem Drusi res cecidere. Senatores enim aegre ferebant sibi tot homines esse additos et ex equestri ordine in summum transisse ordinem, suspicati, equites

---

[1]) Cic. de Or. III. 1, 2.

[2]) Cic. ibid.

[3]) Cic. ibid. III. 1, 2. & I. 7. Val. Max. II. 3.

[4]) Cf. Cic de Or. III. 1, 3.

[5]) Quae hic attuli maxima pro parte sumta ex Appiano I. 35. Breviora affert Vict. c. 66.

illos magis etiam quam antea molestos fore senatoribus pristinis. Equites contra, quum magna lucra et impunitatem facinorum (quum ipsi judices essent) gustassent, legem judiciariam aeque ferre haud potuerunt. Augebat odium equitum multitudo, quae efficiebat, ut praeteriti dolerent. Quod vero summum erat, irascebantur inprimis equites quum corruptionum denuo mentio fieret, quam dudum jam e judiciis evanuisse putabant. Ita et senatus et equites concordi odio Drusum persequebantur.

Italiotas vero illos, qui aut clam aut vi agros occupaverant quosque Livianae coloniae ex occupatis pellebant, facile Drusi adversarii in eum incitarunt. — A consulibus, ut videtur, accersiti [1]) sunt Italici (Umbri, Tyrrheni) in Drusi perniciem, prae se ferentes legum Livianarum accusationem, diemque comitiorum Romae exspectarunt.

Invidiam tribuni auxit societas cum Italiotis, quam incerti primum rumores sparserunt, omni dubio dein majorem effecit Italicorum favor; quum enim Drusus aliquando in publico concideret (morbo comitiali [2]) pro eo per totam Italiam vota [3]) publice suscepta sunt.

Iis omnibus, quasi suae incrementis potestatis, freti consules, denuo tandem de legibus Livianis ferunt. De exitu ne dubitari quidem licuit. Decretum est scto., M.

---

[1]) Appian B. C. I. 36.

[2]) Eam rem nobis tradunt Gell. N. A. XVII. 15. Plin. XXV. 52.

[3]) Victor d. V, I. 66. Inintermisso Italicos orasse civitatem probant Flor. III. 17. Liv. Ep. 71. Or. V. 18. Diod. Sic. XXXVII. fr. 2. Vict. 66. Schol. Bob. Or. p. 282.

Drusi legibus, quae contra legem Caeciliam et Didiam latae essent populum non teneri [1]).

Non intercessit Drusus [2]); cujus rei vera causa non speciosis illis verbis, ut opinor, continetur, quibus utentem nobis proponit Drusum Diodorus [3]) sed in eo quaerenda, quod probe perspexerit Drusus, talem oppositionem sibi in tam adverso rerum statu haud prospere esse cessuram, senseritque insidias, quas illi struxisse consules indicat Appianus [4]).

Duae res tantum restabant Druso. — Alia illi videnda erat via, qua ad inceptum pergeret, aut ab incepto plane desistendum. — Qua erat ambitione Drusus, quid sibi data optione elegerit dubium esse haud potest.

Indicavi jam supra [5]), quid de Drusi consilio sentirem: cum vero, quale id fuerit et quomodo exsequi conatus sit Drusus, certis lineis circumscribi haud possit, propter scriptorum defectum, indicia tantum enumerabo, quae hujus rei restant testimonia et quid ex illis effecisse mihi videor. Videtur mihi Drusus *post* leges suas abrogatas arctiorem cum Italicis iniisse societatem et eo se iis ob-

---

[1]) Cic. pro Domo 16. Asc. in Corn. p. 68. „contra auspicia esse latas neque iis populum teneri cf. Orell. fr. Corn. p. 449. Paullo uberius Cic. de Leg. II. 6. Referente Philippo consule Liviae leges omnes, Apulejae (anni 613. cf. App. d. B. C. I. 28, 29. Aur. Vict. 73. Cic. pro Balbo 24) Titiaeque (anni 655. Or. On. Tull), uno senatus versiculo sublata sunt.

[2]) Diod. Sic. XXXVII, fr. 16.

[3]) „ „ „ „

[4]) Appian. B. C. I. 35.

[5]) Cf. diss. pag. 17, not.

strinxisse jurejurando, quod nobis reservavit Diod. Sic.[1]) Decrevit eorum ope loco potiri in civitate Romana suae apto ambitioni. Inspiciat enim mihi quis verba ipsius jurisjurandi. Sacramento obligant se socii, se vitae neque suae neque parentum liberorumque fore parcos umquam, nisi Druso prodesset iisque qui eodem jurejurando essent obstricti. Haec arguunt firmum propositum vel summa vi plurimoque sanguine apisci, quod sibi proposuissent, i. e. sociis civitatem ope Drusi, Druso vero ope sociorum? Vel tribuniciam potestatem continuatam (sicut Gracchi), vel dictaturam (sicut Syllae), vel simile quid[2]).

Confirmat me expeditio Pompaedii[3]). Decem millia, Marsico duce Pompaedio, tela sub vestimentis celantes Romam petunt, in animo habentes curia circumdata civitatem poscere et nisi impetrassent „igne et ferro vastare rempublicam." Verba Pompaedii „se Romam petere, accersitum a tribunis", arguunt Drusi consilii ejus conscientiam. Res videtur narrari talis, qualem volvit ope Allobrogum Catilina.

Quem putas metum fuisse equitum, quem furorem Romanos invasisse, quum domum reduce Domitio, rumor per urbem spargeretur periculi tam magni tamque feli-

---

[1]) Diod Sic. 37 fr. 17. Eam consecutionem temporum ut constituam, efficit ordo fragmentorum Diod. Novimus et praecedentem historiam et jusjurandum ex fragmentis a Majo inventis (p. 116). Quum ibi narratum sit leges Livianas esse antiquatas Drusumque tribunum intercedere noluisse, *se quitur* jusjurandum quod volo.

[2]) Locos de Drusi spe dominationis etc. attuli pag. 16.

[3]) Cf. diss. pag. 17.

citer ab urbe aversi; quot minaces adversus tribunum auditas esse voces; quam invidiam illi esse conflatam e memoria perpetui erga Italiotas favoris, (noti quidem et antea sed quem talem sperare haud potuissent), praesentiae pristinae ipsius Pompaedii in domo ipsius [1]), admonitionis Philippi, (qua, quum in eo esset ut interficerentur consules in monte Albano, feriis Latinis [3]), hos a morte certa servaverat.)

Ut sensit invidiam, periculaque ex ea capiti suo imminentia, domi se continuit Drusus, sed a consilio non destitit. Quotidie enim agentem eum vidimus cum magna multitudine [4]).

Subito [5]), quum in eo esset ut vespertino tempore, ut vulgo, multitudinem dimitteret domum, incertum quo percussore transfixus est. Vociferatus est, se percussum esse et verba adhuc faciens corruit. Inventus est sutoris cultellus femori infixus. Invidia caedis apud Philippum et Caepionem, (alii „apud Varium") fuit. Nihil de ejus morte populus consultus. Nulla quaestio decreta a senatu est.

Subita illa Drusi mors testimonio mihi est, egisse illum de rebus novis; nisi enim novi quid sibi imminere a

---

1) Plutarch. Cato minor 2.

2) Vict. 66. Flor. III. 17.

3) In fine mensis Aprilis.

4) Vellej. Paterc. II. 16. App. I. 36 etc.

5) Haec omnia hausi e Vell. II. 14. Seneca, de Brev. Vitae 6. de Beneficiis VI. 34. A. Victor 66. (Ampelius L. M. 26 & 19). Cic. pro Mil. 7. Schol. Bob. Or. p. 282. Flor. III. 17 & 18. App. B. C. I. 36. Liv. 71. Oros. V. 18. Rhet. ad Herenn. V. 32. Cic. d. Nat. Deor. III. 32.

Drusi putasset ordo equester, quid *iis* (nam quis eos non agnoscit Drusi interfectores) lucri attulisset tribuni mors.

Ille casus jamdiu tumescens bellum excitavit sociale [1]).

Renovatum autem equitum regimen in tantas immisit Urbem turbas, ut ne attenderit quidem tumultum Italicum respublica, donec in tantam sese attulisset molem, ut violenter restituta in foro pace, missis litibus privatis publicisque omnibus, summisque viribus annixi, motum vix oppresserint Romani, quem initio nullo negotio compescuissent.

Et si enim plane equites vicissent, nihil se effecisse rati nisi et alios adversarios omnes una amovissent, statuerunt sibi machinationem esse inveniendam, qua optimum quemque perderent seque fautoresque suos a metu liberarent: quae illis non diu quaerenda fuit.

Q. Varius [2]), propter obscurum jus civitatis Hybrida cognominatus [3]), acutus rebus inveniendis, nec minus verbis expeditus, fortis actor et vehemens, verbis nec inops nec abjectis [4]), at ceterum inferiore genere ortus [5]), vastus homo, foedus [6]), atque importunissimus [7]), legem tulit, qua jubebat quaeri de iis „quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent" [8]), sperans, fore ut omnes ad-

[1]) App. B. C. I. 38. Vell. Paterc. II. 15. Flor. III. 17. Oros. V. 18.

[2]) Q. dicitur a Cic. Brut. 62, Sucronensis a Vict. 66. Quinct I. O. V. 12.

[3]) Val. Max. VIII. 6. 4.

[4]) Cic. Brut. 62.

[5]) Cic. A. I. I. E. 11.

[6]) Cic. de Orat. I. 25.

[7]) Cic. de Nat. Deor. III. 33.

[8]) Ita Val. Max. VIII. 6. 4. Verba citantur ab Ascon. in Scaur. 22

versae factionis potentissimos in judicium invidiosum induceret. — Opposuere se Varii collegae omnes, sed gladiis strictis adstantes equites violenter legem pertulerunt statimque insignissimi in judicium adducti viri [1]).

Bestia [2]) quidem fugit ex urbe antequam de se judicatum esset, nolens se manibus tradere adversariorum. Post eum Cotta [3]) in judicium venit acriterque increpitis judicibus sponte et ille urbem reliquit cessitque Vario.

Mummium quem dicunt Seneca [4]) et Appianus [5], Cicero [6]) vero Memmium, quum pro se ipse (sicut et Q. Pompejus [7]), Cn. Pompejus Strabo [8]), M. Antonius [9]) dixisset adversus legem Variam, ejectus Deli vixit [10]). At nobilissima M. Scauri accusatio [11]).

Q. Servilius Caepio, vetus M. Scauri adversarius, existimans se invenisse occasionem opprimendi inimici,

---

haecce „Quorum ope consiliove soeii cum populo Rom. arma sumsissent.' Appian B. C. I. 37. *κατὰ τῶν τοῖς Ἰταλιώταις ἐπὶ τὰ κοινὰ φανερῶς ἢ κρύφα βοηθούντων.* Vocatur vulgo lex Varia de majestate. Cf. Cic. pro Cornelio apud Asc. p. 79.

1) Ita narrat Appian B. C. I. 37.

2) Appian ibid.

3) Appian I. 37. Cic. A. I. I. E. 11. Brut. 56.

4) Seneca Consol. ad Helv. c. 16.

5) Appian I. 37.

6) Cic. Brut. 89.

7) Ibid.

8) Cic. pro Corn. apud Asc. p. 79.

9) Cic. Tusc. Q. II. 24.

10) Appian l. l.

11) Asc. in Scaur. p. 21. cf. Victor 72. Quinct I. O. V. 12. Val. Max. III. 7, 8.

egit, ut Q. Varius belli concitati crimine adesse apud se Scaurum juberet, anno aetatis septuagesimo secundo. Ille per viatorem accersitus, cum jam e morbo malo solveretur, dissuadentibus amicis, ne se in illa valetudine et aetate populi invidiae objiceret, innixus nobilissimis juvenibus processit in forum; deinde accepto respondendi loco dixit: „Q. Varius Hispanus M. Scaurum, principem senatus, socios ait in arma convocasse. M. Scaurus princeps senatus negat; testis nemo est. Utri vos Quirites convenit credere?" Qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipso etiam tribuno dimitteretur.

Multi praeterea lege Varia inique damnati [1]), tandemque et legis auctor Varius [2]).

At mox armorum fragor silentium imposuit negotiis forensibus. Judicia senatus decreto intermissa omnia, exceptis de lege Varia [3]) causis; dein et illa [4]), non sine populi rogatu [5]).

Composuere et alii lites privatas et Sylla et Marius [6]). Non detrectarunt militiam praecipui juvenes Lucullus [7]), Hortensius [8]), Cicero [9]). Vovere se unanimo communis patriae saluti omnes.

---

[1]) Ascon. in Corn. p. 73.

[2]) Val. Max. VIII. 6. 4. Cic. Brut 89; de Nat. Deor. III. 33.

[3]) Ita efficio e Cic. Brut. 89

[4]) et ex Ascon. in Corn. p. 73. Certe interiit Varius lege perlata Plautia judiciaria cf. Orell. On. Tull. III. pag. 232.

[5]) Appian B. C. I. 38.

[6]) Plutarch. in vita Marii 22.

[7]) Plut. Luc. 2.

[8]) Dio apud Val. p. 649.

[9]) Plut. Cic. 3.

CAPUT II.

Ceperant enim arma Italici, eamque armis evincere decreverant *πολυεράστην πολίτειαν Ρωμαικὴν*, quam precibus suis operaque Romanorum clarissimorum assequi se non posse „ter iam et amplius viderant."

Nil antiquius habeo, quam explorare, an iure eo epitheto civitatem Romanam ornaverit Diodorus Siculus [1]) et an revera tantum lucrum allatura civitas Romana videri poterat Italiotis, ut merito pro ea bona sua omnia immo libertatem et vitam in tale discrimen adduxerint. Responsum his quaestionibus iam nunc dari potest verbis brevissimis, hunc in modum.

Tolerabilis non tantum, sed si cum provinciarum statu comparetur laeta condicio sociorum „nomine"; sed revera eo tristior quo specie beatior.

Distinguendum erit itaque (ut verbis utar barbaris qui-

---

[1]) Libr. XXXVII. fr. 2.

dem at iisdem tritissimis) inter sociorum condicionem *nominalem* et *realem*, quarum priorem efficere conabor e legum foederum formularumque mentione apud scriptores antiquos, alterius vestigia, quae supersunt, hinc illinc in unum conferam, an forte totum aliquid ex iis effici possit.

Quaeque ferme totius Italiae urbs sua erat lege cum Romanis iuncta. Eiusdem populi singula oppida nonnumquam iure utebantur diversissimo: quae res, callidissime ab antiquis Romanis excogitata et instituta, eo valuit, quo illi voluerunt. Sic enim impedivere, quominus facile Itali adversus Romanos sese iungerent, et partem populi devicti ita sibi devinxerunt, uti adversus populares in popularibus esset praesidium.

Vix dubitari licet, an *dividere populos devictos* statuerit consilio Roma pristina. Sunt enim et alia quae eandem rem probant. Nil affero nisi legem, qualem latam esse nobis indicat Livius [1]), „ceteris populis connubia, commercia, conciliaque *inter se* ademerunt."

Causa haec est, cur de Italiae iure dicturis, eiusdem civitates in plures partes sint dividendae. Nam etsi ea, quae dixi, „quaeque urbs Italiae sua lege cum Romanis est coniuncta" sint vera, fuere nihilominus normae quaedam, ad quas potissimum constituebant devictas civitates Romani, hic illic de iure detrahentes vel iuri addentes, prouti civitates de Urbe meruissent.

Donabant, Romani Urbes devictas iure quodem civitatis, aut,

---

[1]) Libr. VIII. c. 14.

foedere obligabant ad certa quaedam officia.

Urbes civitate donatae sunt,

1°. Municipia vel

2°. Coloniae Romanae.

Quae foedere obligantur, civitates audiunt foederatae, quibus adiunguntur, diserte dictae foederatae civitates, coloniae Latinae [1]).

Dicemus pauca de singulis [2]).

DE MUNICIPIIS [3]).

Gellii quum timerem iudicium dicentis, „Municipes et municipia verba sunt, dictu facilia et usu obvia et neutiquam reperias, qui haec dicit, quin scire se plane putet

---

[1]) Difficillimum est cuiusqne speciei iura certis finibus circumscribere Nam, praeter fontium raritatem, premit quamque disquisitionem locutio scriptorum antiquorum ambigua. Haud enim sibi constant in nominibus, quibus aut varia aut eadem iura designantur. Sic. e. g. Antiates, qui apud Livium VIII. I4. cives audiunt, libr. IX. 20 eiusdem scriptoris repentino socii apparent. Eodem modo Romani Campanornm Liv. IX. 6, 7 collato. libr. XXIII. 5.

[2]) Divisio illa Beckeri est, in Antiquit. Rom. proposita. De iure Italico quaerens eum adhibui ducem, inspectis prouti mihi copia fuerit, Sigonio, (de Ant. Jur. Italic.), Madvigio, (Opusc), Zumptio, Mommsenio (Röm. Münzwesen et Röm. Tribus), Peter (Das Verhältniss Rom's zu den besiegten Städten It.).

[3]) Loca scriptorum antiquorum, quae maxime sunt attendenda, sunt.

Paulus Diaconus s. voce municipium Ed. Mull. p. 27.

Festus s. voce municeps.

Gell. N. A. XVI. 13. Varro d. L.L. V. S. 179.

Ulpian. Dig. I. 1 et indicia breviora in quibusdam locis Livii et Dionysii Halicarnassensis.

quid dicat sed aliud est aliud dicitur" [1]), meo Marte de municipiis dicere non ausus, libros quos enumeravi et alios nonnullos inspexi invenique, de municipiis sententias esse prolatas permultas, toto coelo nonnullas distantes, certe varietate sua arguentes argumenti difficultatem. At prae ceteris me allexere Madvigii Mommseniique disquisitiones, qui innumera paene incredibili acumine et invenere et probarunt. — Effecere ea, ut iis potissimum ducibus mihi de municipiis eam informaverim ideam, quam deinceps paucis verbis sum expositurus.

Mitti debet quaeri, quid fuerit municipium remoto illo tempore, quo nomen exortum est. — Indicia enim, iura eius periodi municipiorum attinentia, plane perierunt. Initium faciendum ab anno 338, quo, post pugnam ad Vesuvium devictis de urbibus Latinis iudicant consules L. Furius Camillus, C. Maenius (Liv. VIII. 4).

Civitates ibi (et postea) a Livio allatae municipia fiunt [2]): datur iis civitas sine suffragio, i. e. iure obstringuntur Romano [3]), milites quotannis et tributum praebere tenentur, gaudent vero maiore ex parte iure commercii et connubii cum Urbe Roma [4]), tolluntur eorum commercia, connubia conciliaque inter se. Obiter tantum moneo, rectissime mihi videri a Madvigio esse constitutum, civitatem sine suffragio gravissimum esse

---

[1]) Gellius, Noct. Attic. XVI. 13.

[2]) Eorum nomina enim inter municipia enumerat Paulus Diac. s. v. municipium, ed. Mull. p. 127.

[3]) Madvig. l.l. p. 234. Exemplo affertur Liv. IX. 43.

[4]) Cf. Peter. l.l. p. 203.

onus, quippe quae onera omnia, lucra fere nulla afferat civitatis [1]).

Nihilominus inter municipia obtinuerunt etiam discrimina quaedam, iura nonnulla sunt aliis concessa aliis negata.

Videntur enim aliquot municipia caruisse iuribus commercii et connubii [2]) et minoribus privilegiis a se invicem fuisse diversa, sicut docebit iam statim Livius VIII: 4. At quod maius est discrimen, fuerunt alia, quibus suus senatus [3]), sui magistratus [4]), sua comitia relicta sunt, (quae municipia his verbis indicantur „semper habent rempublicam a populo Romano separatam" [5]), alia, quibus haec omnia ademta [6]).

Sensim paullatimque dein auctum ius civitatis municipiorum. Fuere Romani pristino illo tempore iustiores,

---

[1]) Madv. 233 sqq. Peter, 213. Antea interpretes veteres omnes putarunt praemio datam civitatem sine suffragio, nitentes praecipue exemplo Caeritum bene de republica Rom. meritorum. At hi non tunc, quum bene meruissent de urbe Roma, donati eo iure sunt, sed postea quum a Romanis defecissent.

[2]) Liv. IX. 43.

[3]) Liv. VIII. 19.

[4]) Cic. pro Mil. 10, ad Fam. XIII. 11. 3. Occurrunt nomina duumvirorum iuri dicundo, aedilium quinquennal. etc.

[5]) Paul, Diac. l.l.

[6]) Uberrime de ea re Mommsen, R. Tr. p. 157 sqq. Röm. Münzw. p. 246. Cuiusque speciei exempla affert Paulus. Primae annumerat Fundanos, Tusculanos: alteri Aricinos, Caerites, Anagninos. Cff. de iis et de urbe Capua, prioris speciei exemplum tempore Hannibalico, alterius post illa, Beckeri, Ant.

quam qui postea civitatem iure petentibus sociis pervicacissime negarunt. Sunt et in suffragia et in honores recepta Tusculum, Atina, Frusino aliaque [1]). Immo verisimile [2]) agri Sabini Latinique intra Vulturnum et Lirim municipes omnes cives facti erant pleno iure 100 fere annis antequam bellum eruperit sociale. Eorum municipiorum condicio dubia esse haud potest. Videntur indicari tertia definitione Pauli (l.l.) „tertio quum id genus etc."

DE COLONIIS ROMANIS [3]).

De coloniis Romanis si quis brevissime agere velit, haud facile melius earum condicionem ob oculos sibi ponere poterit, quam si urgeat locum Gellii [4]), quem describam.

„Istae [5]) coloniae quasi effigies parvae simulacraque

---

1) Cf. Beck. Ant. III. I. pag. 12.

2) Sententia est Mommsenii Röm. Münzw. p. 226. Cf. Peter, 217. Loci unde talia deducuntur sunt Vell. Paterc. I. 14. Liv. XXXVIII. 16. Cic. pro Plancio c. 8. cett.

3) De coloniis Romanis acturo prima mihi incidere in manus, quae de coloniis disputavit Kienius, longe aliam ac Madvigius proponens de iis sententiam, eiusque argumenta nullius esse pretii demonstrare cupiens. Revera movit me illa disputatio donec ipsum Madvigii librum inspexissem. Quum enim totam ordine perlegerem eius de coloniis disputationem nescio qui factum sit, ut sensim paullatimque in Madvigii perductus sim sententiam, ita ut plane cum Beckero faciam dicente „Kienes Resultate haben mich fast nirgends ueberzeugt, neque mirer, ab omnibus ferme, uti dicit Becker, itum esse in Madvigii sententiam.

4) Gellius N. A. XVI. 13.

5) Istae coloniae sunt eae quae, a Beckero citantur l.l. p. 18 et 19.

(Romae) esse quaedam videntur." Quod quo sensu verum sit, ostendere conabor.

Solebat populus Romanus populis devictis adimere tertiam agri partem [1]), cuius incolas aut Romam abire cogebat, aut per ceteros agros dispertiebatur [2]).

Eam aut vendebat [3]), aut agrum publicum faciebat, aut colonis dividebat Romanis. Illi sollemni ritu in eos agros deducti, ibique urbem occupantes plerumque iam aedificatam [4]), brevi civitatem efficiebant miro modo Romanae congruam [5]). Coloni enim, 300 plerumque numero primis temporibus deducti, (quem numerum cum gentium numero Romanarum conspirare observatum est [6]), dein vero pluribus [7]) ibi, eodem modo, quo initio reipublicae

---

1) Dion. Halicarn. II. 35. 50, 53. Liv. X. 1.

2) Livius. I. 33. Dion. Halic. II. 35.

3) Hyginus in Gromatt. Vett. Ed. Lachmann pag. 115, 116, 117, 131, 136, 137, 151, 152.

4) Dicitur a Niebuhrio fuisse discrimen inter colonias Graecas Romanasque, Graecas colonias aedificatas esse in locis, quae antea inculta non fuissent, dum Romanae in urbes aut loca antea iam aedificata deducerentur; quam rem probare videntur coloniarum Romanarum definitiones apud Servium ad Virg. Aen. I. 12. Dion. H. II. 16. Sic Flaccus in. Gromm. Vett. p. 135. Sed exceptiones sunt Liv. I. 33. Dion. Halic. IV. 63. Cf. de his Madv. p. 225, 226.

5) Eae coloniae non sunt deductae per dua priora bella Punica.

6) Niebuhr. R. G. II. 55.

7) Deductae primo tempore coloniae pro praesidio militari: a Gracchis inde, ut subveniretur paupertati civium: ab anno fere 100 a Chr. n. ut remunerarentur veterani (Vell. I. 15.) Numerus civium inde a Gracchis deductus certe saepissime 300 maior, sed perraro tot videntur cives esse deducti, quot Latini et Romani mixtim in colonias Latinas.

Romani patricii, ordinem summum efficiebant [1]). Retinebant iura suffragii et honorum [2]). Creabantur ex eorum numero duumviri vel quatuorviri, pro magnitudine coloniae, cum consulibus optime comparandi: decuriones, qui sunt Romanis senatores: ceteri magistratus. Possidebant tertiam agri partem, i. e. singuli (saltem quum 300 tantum sicut plerumque deducerentur) magna possidebant praedia et vel sic a Romanis patriciis pristinis haud diversi erant. Ut in Urbe patribus plebei, sic in coloniis oppositi Romanis incolae priores. Non omnino carebant hi civitate [3]), sed, ut plebei Romani pristini, iure honorum; carebant praeterea suffragio. Nulla miseris illis ex ea civitate redundabant commoda; nihilominus officiis omnibus (tributo, militia) fungi tenebantur.

Saepe, uti porro cum plebeis Romanis comparentur, propter pessimam condicionem seditiones pristini incolae moliti sunt. Immo innotuere conatus quidam indigenum interficiendorum colonorum et liberandae ab illis civitatis [4]).

Sed et illi, quod et municipibus contigisse vidimus, videntur sensim paullatimque pervenisse ad suffragia, ad honores, donec exaequatis (diu ante legem Juliam) iuribus nullo discrimine distingueretur inter colonos Ro-

---

[1]) Livius, IX. 28. Madvig. p. 226 et loca ibi allata, Dionys. II. 35, 53. Liv. VII. 21. XXXII. 29. XXXIV. 45.

[2]) Madv. 244—245, post enm omnes.

[3]) Madvig. l. l. 232, 244. Niebuhr. R. G. II. 56, Dion. Halic. II. 35, 50. III. 49. Livius VIII. 14. Cf. VI. 17. IX. 16.

[4]) Dion. Halic. II. 54. Liv. IX. 24. Diod. XIV. 102. Madvig. 227.

manos et pristinos incolas, non ante tamen quam et Romae evanuerant discrimina plebis patrumque [1]).

DE CIVITATIBUS FOEDERATIS.

Si reliquarum civitatum condicio e paucis nobis innotuerit fontibus, paucissimi, si cum his comparentur, fontes, nos de civitatibus docebunt foederatis [2]).

Quum enim varia foederum genera, quibus civitates sibi devincire solebant Romani, in genere non nisi admodum vago nobis nota sint, haud mirum est difficilius adhuc posse perspici singularum urbium statum. Accedit quod, quae nota paullisper sunt foedera, majora ex parte sint Latinorum cum populo Romano, quae omnes fere in civitatem sine suffragio et iure honorum abierunt, post pugnam apud Vesuvium saepius iam indicatam. Alia est difficultas, quod Latinae coloniae, civitates dictae ipsissimis verbis foederatae [3]), alio usae sunt iure ac reliquae sociae urbes [4]), quodque inter has ipsas discrimen quoddam majoris minorisque Latii obtigiit [5]).

---

[1]) Niebuhr. R. G. II. 12.

[2]) Civitates volo foederatas tum, quum bellum erumperet Marsicum: foederatas enim Latinas civitates novimus, sed hae illo tempore maxima ex parte abierant in civitatem Romanam. Ceterarum foederatarum urbium perpaucae sunt quarum condicionis vel tenuissima indicia ad nos pervenerunt. Recitat harum nomina Becker: Tibur, Praeneste, Neapolis, Nola, Nuceria, Velia, Locri, Rhegium, Heraclaea, Tarentum, Frentanorum urbs, Camerinum, Iguvium.

[3]) Cic. pro Balb. 24, Latinis i. e. foederatis.

[4]) Probat hanc rem v. c. formula „Latinum nomen sociique, Latini sociique," de quibus cf. Kiene. p. 112—119.

[5]) Madvig, p. 279, 282 sqq. Savigny, Verm. Schr. I. 18 sqq.

Videamus primum de foederatis in genere, ut dein addamus, quibusnam usae sint praerogativis coloniae Latinae. Urbs foederata suos habebat magistratus, suas leges, suam jurisdictionem. Erat civitas libera, cuius incolae, nullo civitatis vinclo Romae iuncti, peregrini erant: cuius res domesticae eodem modo administrabantur ac cujusvis alius liberae civitatis. At foedus cum Urbe duplici eam modo obligabat:

1°. Quod attinet ad civitates alias.

2°. 〃 〃 ad Romam ipsam.

1°. Adimebatur ei facultas belli indicendi, pacis ineundae. Lites vel inter civitates foederatas, vel inter talem et hostilem dirimebat Urbs Roma.

2°. Tenebantur quotannis legatos [1]) Romam mittere, qui numerum rogarent militum, quos in sequentem annum praestare deberent. Ubi is numerus imperatus esset, copiae, exornatae sumptu sociae civitatis, Romam mittuntur et tribuitur iis stipendium a quaestore Romano. Suos plerumque creabant duces [2]) in bello, quos saepe videmus a consulibus Romanis magno honore esse affectos.

Lites, inter Romanos civesque civitatis foederatae, dirimit praetor peregrinus et patronus Romanus in iure sistitur pro cive aut civitate peregrina.

Onus est praeterea his sociis impositum itinerum et magistratuum et legatorum sumptus, dum in finibus morarentur civitatis: onus exiguum initio, quod, quem in modum auctum sit presseritque socios, postea videbimus.

---

[1]) Livius XXXIV. 56. Polyb. VI. 21.

[2]) Interdum etiam a consulibus dicebantur Romanis.

Nullum tributum solvebant, nisi decumas agri publici occupati et pretium quoddam pro pascuis, quae in agro publico alerentur. Tribuebatur sociis, si bellum gereretur, praedae pars, etsi ea certa interdum minor fuerit, quam pro numero sociorum militum ex spectari potuisset.

Coloniae Latinae, sicut et Romanae, deducuntur a triumviris [1]) populi iussu. Deductis colonis assignatur devicti cujusdam agri tertia pars [2]), eo consilio, ut ejus praesidium efficiant militare. Nihilominus sunt inter Romanas et Latinas nonnulla discrimina. In priores deducuntur cives, numero plerumque 300: in Latinas Latini, aut Latini et Romani mixtim, multo plures [3]). Romanas vidimus abductas esse in loca plerumque iam antea aedificata, Latinae novae plerumque sunt urbes [4]). De iuribus coloniae Latinae pauca sunt addenda.

Diserte, ut iam diximus, coloniae Latinae hic illic vocantur civitates foederatae [5]). Certe itaque condicione usae sunt majore ex parte eadem, ac civitates foederatae, de quibus egimus. At usae sunt praeterea praerogativis quibusdam. De his inter viros doctos maxima dissensio.

---

[1]) Livius. XXXIV. 53.

[2]) Romanis non unice, sed omnibus Italicis etiam aute Urbem conditam moris erat, deducere colonias in partem agri devicti. Exemplo affert Becker Liv. IV. 37. V. 33. VII. 27. Strab. V. p. 216. VI. p. 254. Athen. XIV. 31, spreto Dionys. II. 16, Romulum dicente coloniarum inventorem.

[3]) Interdum 3000, 4000, 5000, 6000 in colonias deducuntur Latinas.

[4]) Cf. Becker l. l. p. 85.

[5]) Cic. pro Balbo, C. 24.

Quum enim Latinitas [1]), tempore belli Marsici quibus iuribus contineretur nobis minime uotum sit, conjectura necesse est fiat de ea e condicione seriorum Latinorum [2]). Ex illa conjectura videntur fuisse Latini ante annum 90 medii inter cives peregrinosque et ideo iura quaedam prae ceteris foederatis illis tribuuntur. At statim iam de iure commercii dubitant viri docti. Aliis sociis illud tribuit, aliis negat Savignius [3]), nitens praecipue loco Ciceronis [4]). Multi [5]), qui post eum de illo iure Latinis concedendo vel negando scripsere. At optime et hic mihi placent, quae de ea re Madvigius disseruit [6]). Non negandnm est, (sic ille), in loco Ciceronis jus laudatum tribui coloniae Latinae, sed certo contra aliis est coloniis detrahendum. Mirum enim esset, exceptionis modo laudare unius alteriusve coloniae Latinae commercii jus, si omnes eo fruerentur.

---

[1]) Unicuique notum est, quatuor esse Latinitatis genera. Antiquissimo tempore vox indicat necessitudinem inter Romanos et Latinos; dein jus coloniarum Latinarum in Italia; postea condicio urbium et provinciarum jure Latinarum coloniarum donatarum; tandem juris condicio libertinorum.

[2]) Cf. Becker, III. 1. p. 38.

[3]) Nota est acuta de illa re Savignii disceptatio (Verm. Schriften t. I. p. 18 sqq.). Quod ille dicit, fere cum Madvigianis amice spirat. At modus quo ille hypothesin suam probare conatur (nota illa de numero XII et XIIX conjectura) displicet ob causas varias de quibus cf. Becker. l. l. p. 40.

[4]) Cic. pro Caec. c. 35.

[5]) Vangerow. p. 95. Puchta. Inst. p. 239. sqq. Rein. in Pauly's Real-Encycl. t. IV. p. 817. Walter. Gesch. d. Röm. R. p. 261. Cf. Becker. l. l. p. 42.

[6]) Cf. p. 282. sqq.

De omnibus autem valet lex, quae constituit. „Ut quisque in colonia Latina honore functus civitatem capesseret Romanam [1]."

Obiter tantum affero legem Serviliam, quae concessit civitatem Latinis, qui quaestionem de repetundis Romae pertulerant [2].

Quod attinet ad dubium Latinorum jus „uti concederetur civitas Latinis, dummodo prolem in civitate sua relinquentes Romam migrassent," omni tempore Latinis tale jus fuisse probasse se putat Savignius, supplens Gaji locum. Iure autem eum reprehendit Puchta, qui perlegens Gajum a § 90 longe aliam ei loco putat medicinam adhibendam. Putat ille legem apud Liv. XLI. 8. spectasse aliquot millia sociorum, qui in civitatem irrepserant, quibus, ne omnes rejicerentur, hanc scripsere Romani legem. Sic imminuta facti invidia pellebantur e civitate Romana Latini permulti. Cf. v. Savigny, Ueber Gesch. Rechtsw. IX. p. 317. Puchta, vol. I, p. 223.

Ejusdem modi legem sed acriorem deinde tulerunt anno 95 sapientissimi consules Crassus et Scaevola rescissa exceptione.

Breviter nunc colonorum Latinorum resumamus condicionem: sunt peregrini [3], praesidii loco impositi regionibus occupatis ab aliis peregrinis, quibuscum nullo erant

---

[1]) Ascon. in Pisonian. p. 3. Appian. B. C. II. 26. Strabo. IV. 18 Puchta. Curs. d. Instit. I. 238.

[2]) Cic. pro Balbo. 24. Madv. p. 273.

[3]) Cf. Gaj. I. 79.

vinculo juncti, immo generis dissimilitudine perpetuas exercebant inimicitias. Formula [1]) designantur eorum territorium, obligationes erga Romam. Ipsae coloniae civitates sunt liberae, nullis obstrictae Romanis legibus, nisi fundae factae sint [2]); nullum habent Romanum magistratum; jure utuntur monetae [3]). Stipendia merent sicut et ceteri socii in alis et cohortibus, harum incolae.

Solvi ut opinor quaestionem, quam mihi proposui, „quinam fuere, qui arma adversus Urbem capere potuerunt, ad civitatem impetrandam" et e praecedentibus luculenter apparuisse puto, hos fuisse omnes Italos municipibus tantum colonisque Romanis exceptis. At simul ita est horum Italicorum a me exposita condicio, ut non possimus non inquirere, qui fiat ut homines, nullo paene, nisi eodem quo ipsi Romani, gravati tributo, participes praedae bellicae, libera gavisi regiminis forma, sua jurisdictione, partimque praeterea nonnullis utentes et juribus et privilegiis, nihilo minus *πολυεράστην* censuerint civitatem Romanam, i. e. quomodo differant condicio nominalis [4]), quam exposui

---

[1]) Affertur exemplo a Beckero l.l. p. 86 locus Plinii III. 4. § 37. Laudatur in eo colonia Nemausus.

[2]) Idem est fundus fieri ac auctor fieri (Festus).

[3]) Mommsen. Röm. Münzw. 228—234.

[4]) Memini me initio huius capitis condicionem nominalem sociorum dixisse laetam si cum provinciarum statu compararetur et opus esse videtur paucis in rebus illud ostendere. Praecipuum hocce. Non tantum non immunes erant provinciae (exceptis paucis urbibus) tributorum sed et a proconsulibus et a quaestoribus et a toto denique ordine equestri haud ferendum in modum diripiebantur, cujus rei exceptiones facilius quam exempla enumerare posses. Accedit quod liberam regiminis formam ami-

et condicio realis ad quam exponendam statim accingor.

Initium faciam a duobus locis Sallustianis [1]).

„Expergiscimini aliquando et capessite rempublicam; non agitur de sociorum injuriis;" et

„Non peculatus aerarii factus est neque per vim sociis ereptae pecuniae; quae quamquam gravia, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur" et ibidem „Sociis vestris pro hostibus, hostibus pro sociis utuntur."

Qui loci quid probant?

Foederatorum condicionem realem ita fuisse deplorabilem, ut perpetuo de ea Romae quererentur socii et tam saepe ejusmodi quaestiones senatui [3]) obtigisse, ut vocem tantum „socii" audientes, senatores vix a somno abstinere possent dormitantesque totam rem audirent.

Vix dubitari licet an experrecti ad sententiam ferendam (sicut nostratem ferunt crudelem plumbeumque Hessels), socios semper damnaverint. Graviter enim si animadversum esset in reos, talis res in consuetudinem abire haud potuisset.

Haec de ea condicione universe; sed sunt etiam alia

---

serunt provinciae, retinuerant sociae civitates, quas volumus; quae res in regionibus subjectis etsi non sit tanti momenti, a quoquo tamen populo semper maximi fit. Possem hisce plura addere, quae nunc mittam, ne longius ab incepto aberrem.

[1]) Bell. Cat. 52, Bell. Jugurth. 21.

[2]) Spectat prior locus Sallustii tempora post bellum Marsicum, sed statim ostendit locus alter ad tempora ante id bellum eadem pertinere et consuetudinem, quam et prior locus arguit, temporibus e pristinis originem traxisse.

[3]) Ante bellum Marsicum equitibus.

quae maximo oneri socios gravabant, quorum unum alterumque afferam.

Sumptus, uti jam supra diximus, sociis erant civitatibus solvendi itinerum magistratuum legatorumque. Quam exiguum id onus initio fuerit, docet nos Livius [1]).

„Legati, qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant: etiam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant." At simul, quaenam incrementa mox illud ceperit, indicio est idem scriptor, addens brevi post

„Consul [2]) enim Postumius iratus Praenestinis, litteras eo misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet ubi diverteretur, iumentaque cum inde exiret praesto essent. Vidit rectissime" Livius, quo id valuerit, sic statuens „Ira consulis et silentium nimis aut modestum aut timidum Praenestinorum, ius, velut probato exemplo, magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum."

Sed et haec forsan ferenda fuissent, nisi liberae illae accessissent legationes.

Senatoribus, si aliquo tenderent, dabatur libera legatio, qua data, ubicunque eodem fruebantur iure, quo magistratus itinera facientes. Ita omnem excessit modum pressitque socios res, quae initio nulli paene oneri fuerat. Complures res minoris momenti, aedes Junonis Laciniae detectae a Fulvio Flacco censore, (Liv. XLII. 3. Val. Max.

---

[1]) Cf. libr. LII. 1.

[2]) Praetores idem iam antea facere ausos esse indicio Livius est XXX. 27. Sumptus, quos in cultum praetorum facere soliti erant socii, (in Sardinia) circumcisi (a Catone).

I; I: 20,) alia (Liv. XXIX. 16, 17. Cic. pro leg. Man. 13) omitto. Graviora sunt ad quae propero.

Memoravi legem Serviliam, civitatem promittentem ei, qui pertulisset quaestionem de repetundis. Quale hoc fuerit sociis commodum, facillimum est statuere [1]). Qui per vim sociis pecuniam eripere solebant, praeter consules, senatores, praetores, certe fuerunt equites, principes Romani, quos omnes avaritia in unum esse coactos supra ostendi. — Equites, qui iudices eo tempore erant, nullum certe umquam reum talis criminis, nisi simul esset et ipsorum adversarius, damnarunt. De repetundis quaestionem perferens socius aut raro aut numquam itaque factus est civis, quamvis in rapinis sibi indulgerent Romani.

Foedere aut formula obligabantur sociae civitates ad militiam. Onus illud primis temporibus tolerabile dixi et merito, uti videtur; nam procul non abibant militandi causa: numerus militum, quos praestare debebant, non erat civitatis pro viribus maior: pars praedae, ius agri publici ex parte occupandi labores remunerabatur: numquam non civitates Romana civitate donabantur, si in bello bene de Urbe meruissent.

Etsi nulla harum rerum sit lege quadam abrogata, vide tamen, qualem in modum haec sit condicio mutata.

---

[1]) Locus praecipuus hic est Cic. de Off. II. 21. Tantum bellum It. propter judiciorum metum excitatum. Tanta sublatis legibus de judiciis expilatio direptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus.

[2]) Cf. Cic. de Har. Resp. 9. Vell. II. 15.

Longius sensim paullatimque processerant Romani: diuturnior et difficilior sic evaserat sociis militia. Numerus militum imperatorum sensim major factus, donec duas totius exercitus partes socii praeberent. Simul autem incolarum numerus vehementer imminuebatur et numerosis stipendiis et frequentibus fraudibus, quibus in civitatem irrepsere Romanam socii.

Simulac extra Italiam populos devincere coepit Roma, in agri publici formam non redegit regionis devictae partem, quae sic sociis lucrum allatura fuisset, sed totam provinciam facere coepit: hujus fructus unice Romanis cedebant.

Accedebat quod agri publici in Italia possessio sociis fuerit haud certa. — Omitto, quae certissime hic illic passi sunt a Romanis latifundia sibi parare cupientibus. — Leges agrariae Gracchanae 500 iugera civibus tantum Romanis promittebant, iisdemque, si quae exstruxissent in agris, qui ea lege iis adimebantur, indemnitatem: immo deducendis coloniis ut inveniretur idoneus ager, socii suis spoliabantur, hic illic aliis donabantur, suis non melioribus [1]).

Si addamus, obsolevisse, postquam coloniarum Romanarum pristini incolae et municipes cives evasissent, to-

---

[1]) Hanc rem injustissimam esse queritur Cicero de Republ. III. 29. Cf. Niebuhr Gesch. III. 621, not. 54. Qualem hanc rem ipsi judicaverint socii docebit Appianus de Bell. Civ. lib. I. c. 18. Quum enim leges suas partim pro sociis promulgare coepissent C. Gracchus, Fulvius Flaccus, auxilium rogant socii P. Scipionis Africani minoris, anxii ne e suis ejicerentur.

tas donare civitate urbes, uno verbo describere sociorum statum sic possumus.

Immenso labore cogebant quotannis sociae urbes numerum militum pro numero incolarum multo majorem. Vacuefaciebant urbes, sanguinem effundebant in extremis terris socii et quis ex illis laboribus fructus sicubi e longinquo itinere domum facti essent reduces?

Inveniebant sua aut occupata, aut colonis assignata. Romae de iis queri non proderat. Iidem enim et rei et iudices. At omnium aegerrime ferebant socii magistratuum Romanorum vexationis, *τὸ τετάχθαι ὑπὸ ταῖς ῥάβδοις.* [1]) Durissimum inter dura, quod, nulla legis specie servata, nullis legibus *de provocatione*, *de capite et tergo* muniti, traditos sese viderent libidini cuiusque ferme Romani, vel privati vel honore fungentis.

Qua mente tulisse censes ipsos socios magistratus violentiam, propter insanam uxoris cupidinem, ubi audiamus, inter ipsos Romanos, Gracchum graviter eam rem indignantem et quam maxima posset invidia sic conquerentem [1]).

„Nuper Teanum Sidicinum consul venit: uxor edixit se in balneis virilibus lavari velle. Quaestori Sidicino a M. Mario datum est negotium, ut balneis exigerentur, qui lavabantur. Uxor renuntiat viro, parum cito sibi balneas traditas esse et parum lautas fuisse: idcirco palus

---

[1]) Verba sunt Diodori e libr. XXXVII fr. 18. Perlege ibi de Samnio scurra narrationem, quae sive vera sit sive ficta, multis nobis nominibus magni est momenti, inter plura ostendens, quanto odio imperium Urbis ferrent foederatae civitates.

[2]) Cf. Gellius N. A. X. c. 3.

destitutus est in foro: eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo M. Marius, vestimenta detracta sunt, virgis caesus est."

Neque unicum violentiae id est exemplum. Statim addit Gellius. „Caleni ubi id audierunt edixerunt, ne quis in balneis lavisse vellet, dum magistratus Romanus ibi esset. Ferentini ob eandem causam praetor noster quaestores arripi jussit, alter se de muro deiecit, alter virgis caesus est."

Datum exemplum a potentioribus, uti vulgo fit, alii imitantur, privati, iuvenes, quivis cives Romani. Audi Gracchum apud Gellium (l. l.).

Quanta libido quantaque intemperantia sit hominum adolescentium, unum vobis ostendam exemplum. His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adulescens pro legato. Is in lectica vehebatur. Ei obviam bubulcus de plebe Venusina advenit, et per iocum, cum ignoraret qui ferretur, rogavit „num mortuum ferrent." Ubi id audivit, lecticam iussit deponi, struppis, quibus lectica deligata erat, usque eo verberari iussit, dum animam efflavit.

Hisce realis condicionis indiciis expositis facillimum erit, ut dixi, de ceteris e praecedentibus statuere et ita probasse mihi videor quod initio posui,

Condicio sociorum eo tristior quo specie beatior.

Intelligimus nunc, qui semper socii concupiverint civitatem, eo vehementius, quo peior evaderet eorum status. Vix autem intelligimus, qui tantopere restiterint huic rei Romani, qui factum sit ut, quo saepius civitatem assequi tentarent foederati, sequens semper conatus acerbio-

rem ferret repulsam, qua de causa sociis optime de republica meritis inviderent pervicacissimeque negarent, quod libertinis nullis exceptis permittebant. Vix intelligimus, non solum non metuisse Romanos, verum sprevisse etiam in dies crescentem (ob repulsam) iram sociorum, qui cuiusque exercitus duas easque meliores praestabant partes: qui factum sit, ut ne spem quidem, nisi „diuturnae devotissimaeque servitutis," iis reliquerint, quibus, ut uno verbo dicam „nitebatur res Romana omnis."

Nam et privatis et publicis foederatorum conatibus acrius obstiterunt, quo frequentius repeterentur. Quum enim antiquitus [1]) ex iis, qui in civitatem irrepserant Romanam, ii tantum rejecti sunt, qui nulla prole relicta patriam valere iusserant, lex Licinia Mucia (de redigendis in suas civitates sociis) [2]) omnibus, qui iniuria pro civibus sese gerebant Romanis, civitatem ademit. Immo Urbis usu prohibuit peregrinos lex Iunia [3]). Ubicumque irrumpere in civitatem (quasi castellum esset) conarentur socii, novae semper leges, uti propugnacula, erigebantur et a desiderato bono foederatos dividebant.

Haud prosperiore eventu gavisi sunt Italicorum inter Romanos fautores, conati publice iis asserere libertatem, aut quum aequam illam censerent, aut haud parum e so-

---

[1]) Locum volo explicatum a Beckero l.l. p. 43.

[2]) Cf. Cic. pro Corn. fr. 10. Orell. p. 449, Asc. ad eum locum, pro Sextio 13. Schol. Bob. ad eum locum, de Off. III. 11, pro Balbo. 21 etc.

[3]) Cic. de Off. III. 11.

ciis sibi fore auxilii sperarent, si dominos eos pro subjectis fecissent.

Nomina tantum enumerasse sat habebo Tib. S. Gracchi, M. Fulvii Flacci consulis, dein cum C. Graccho tribuni plebis, quibus quis ignorat quam parum prospere, quae ab iis suscepta sunt, cesserint. Tib. enim Gracchus sua pro sociis consilia legis forma proponere non ausus esse videtur, etsi tale quid promisisset [1]), Flaccus consul lege de civitate sociorum proposita, primum Massiliam missus adversus Gallos Salluvianos, dein tribunus plebis, eadem repetens, cum collega C. Graccho periit [2]).

Horum mors, Fregellae dirutae [3]), disertissime arguentes, quam incredibili contentione essent unicuique adversaturi cives, qui de sociorum civitate ferret, effecit (quod haud miramur) uti nemo proximis annis vitam pro iis in discrimen adducere ausus sit. Magis itaque magisque in dies dubitabant foederati „an umquam adepturi essent, quod avebant" dum crescebat eadem ratione eiusdem cupido.

Ecce, plane ferme desperatis rebus, ultima salutis iis affulsit spes. Tribunus creatur M. Livius Drusus, sponte petit ad exsequenda consilia auxilium sociorum, praemium ostendens saepius frustra flagitatam civitatem. Nil opus est dicere, qua laetitia tales exceperint propositiones

---

[1]) Historiae huius Gracchi praecipuus fons Appianus est. B. C. ab initio. Livius. Ep. 58.

[2]) Liv. Ep. 60, 61. App. B. C. I. 20 sqq.

[3]) Vell. II. 6. Rhet. ad Herenn. IV. 9. 15. Cic. Phil. III. 6. de Invent. II. 34. Liv. Ep. 60, 61.

socii, qua diligentia Popedium miserint Silonem [1]) de Italicis cum tribuno acturum; incredibilem foederatorum studium diserte nobis arguit foedus, quod cum Druso inierunt [2]), his verbis fere conceptum.

„Juro per Jovem Capitolinum et Vestam Romanam et per Martem gentilem et Solem genitorem et terram altricem, quum animalium, tum plantarum etiam, per eos in super, qui Urbis conditores fuerunt, semideos heroesque, qui imperium Romanum protulerunt, eumdem me habiturum esse amicum et inimicum ac Drusum neque vitae neque liberis neque parentibus neque cuiusquam vitae me esse parciturum, nisi Druso commodo sit iisque, qui eodem sese obstrinxere iureiurando. Si vero fiam civis Drusi lege, patriam habebo Romam maximumque benefactorem Drusum. Et communicabo hoc iusiurandum cum quam plurimis potuerim civium meorum. Si iusiurandum a me observetur bona utinam consequar, sin violem contraria."

Mox factis dicta exaequant socii. Perferunt illi leges Livianas. Summo studio Drusum persequuntur ita ut publice vota pro eo suscipiant, quum repentino in publico concidisset. Non dubitant 10000 armatornm Romam petere Popedio duce, ad quaelibet Druso perpetranda.

At subito et haec spes, quo maior fuerat, eo citius evanuit. Mox renuntiatur leges esse Livianas antiquatas,

---

[1]) Plut. Cat. c. 2.

[2]) Diodorus Siculus. XXXVII. fr. 17.

tribunum esse a sicario vulneratum, vita esse defunctum [1]). Ultima spe tam subito delapsi, non dubitant socii, quin armis unice desiderata assequi possent: nulla mora est bello iam pridem, uti ait Vellejus [2]) tumescenti.

---

[1]) Cf. Mommsen. II. pag. 215.

[2]) Vellejus Paterculus. II. I6.

CAPUT III.

BELLI APPARATUS ET PRIMORDIA.

Nunc tandem probe noverant Urbis consilia foederati. Paullo ante, quum Silo [1]) Romam peteret, deterreri poterat ab incepto quum iis Domitius promisisset, senatum auditurum esse aequas foederatorum preces. Nunc contra non ea tantum vana fuisse animadvertebatur, sed insignissimos inter Romanos summa in se concitasse odia, morte esse multatos propterea quod sociorum causam tuendam suscepissent, luce clarius his ostenderat, quam parva spes sibi relinqueretur, quam firmiter decrevissent Romani perpetua se premere servitute. Si vero adhuc dubii haesissent rem extra omnem controversiam abduxissent innumerae ferme e lege Varia de maiestate lites, quibus quisque, qui a

[1]) Diodorus libr. XXXVII. fr. 19.

Drusi stetisset partibus, qui plus vel minus auxilii tulisset sociis aut iisdem favisset vel maxime periclitabatur.

Nil itaque foederatis reliquum, nisi aut parare bellum, aut fateri, se semper esse laturos humillimam vilissimamque Romae servitutem: quod, vix opus est dictu, sprevere viri una cum Romanis quovis in bello periclitati, cuiusque Romani triumphi participes, cuiusque victoriae maiore ex parte nobilissimi auctores.

Decernunt [1]) itaque a Romanis deficere et omnibus intentis viribus manus cum iis conserere. Clam inter se legatos mittunt ut foedere adversus Romanos omnes coirent. Habentur concilia, orationes a principibus habentur Italicis [2]), obsides sibi invicem mittunt urbes.

Diu haec res Romanos fugit. Adhuc enim e lege Varia quaestionibus tumultuabatur respublica, earum rumore quivis unice occupabatur animus. At ne tum quidem, quum in dies magis magisque percrebesceret res et Romam quamvis praeoccupatam celare socii diutius non possent, publice ei malo obviam itum est, sed, dum Romani pergerent spreta populi voce Drusianae factionis relliquias amovere, missi ii tantum speculatores sunt in singulas civitates prouti quisque ad eam rem esset maxime idoneus, aut prope civitatem suspectam habitaret, aut familiaritate esset cum civibus coniunctus, quibus mandatum, ut sem-

---

[1]) Appian. B. C. I. 38. Liv. Ep. 71. Historia bellis civilis Appiani praecipuus nobis in hisce fons est. — Eum itaque non in quoque facto citabo, sed semel eum afferam in unaquaque longiore periodo historiae. — Continentur belli apparatus et primordia eius libro de bello civilis primo cap. 38—40.

[2]) Liv. Ep. 71.

per fiebat „uti rebus animum adverterent; si quid animadversum esset, Romam perferri curarent."

Speculator [1]) unus ex iis, quos memoravi, quum vidisset puerum Asculanensem obsidem inde alio abductum, certiorem huius rei fecit Servilium praetorem [2]) pro tempore in vicinitate degentem. Parvo comitatu ille propere Asculum abit, et qua erat ira, nulla mora in forum procedit. Vix opus est dictu, quam aegre fascium tulerit spectaculum, quae eo ludorum causa convenerat Picentium multitudo, animo alacri et prompto propter festos dies, exasperato propter coniurationem. At licet infensissimum ex omnium ei affulserit odium oculis, acerrime in eos invectus Servilius gravissimeque iis minitatus, quasi servi non liberi, non socii essent, ita commovit omnium animos, ut mox contineri non possent Picentes, in Romanos irruerint, Servilium Fonteiumque eius legatum dilacerarint. Exasperavit haec res, ut vulgo fit, mentes. Clausis iussu magistratus [3]) portis undique extrahuntur Romani, qui forte intra muros erant, misere pereunt, bona ab Asculanensibus diripiuntur.

---

[1]) Fontes sunt Appian. Liv. Orosius V. 18. Diod. Sicul. XXXVII. 19. Vell. II. 15. Florus III. 18. Schol. Bob. pro Syll. p. 364. Orell. Cic. pro Fontejo 14. J. Obsequens 44.

[2]) Appianus et Livii epitomator eum proconsulem dicunt. Sed consul nomine Servilii non occurit nisi 106 a Chr. n. et ponendum itaque esset, consularem eum dictum esse proconsulem. Quod etsi saepe factum sit, malumus tamen cum Oros. V. 18. Diod. XXXVII. fr. 19. Vell. II. 15. eum dicere praetorem. Mendum sine dubio apud Vellejum „*Servium* praetorem." Florum non attendo in vago legatum dicentem Servilium.

[3]) Ita efficio ex Orosio. V. 18.

Hoc fuit belli sacramentum [1]). Id malum ab Asculanis ortum, dein a Marsis exceptum in omnes penetravit Italiae regiones [2]). Certo et privata ergo Romanos et publica odia tunc expiata; Asculi exemplum sunt imitatae ceterae quoque civitates, paucissimi aut mortem aut captivitatem effugere Romani [3]). Tota Italia in armis erat: summis viribus bellum parabatur. Romae pristina videbatur mens restituta. Unanimo patriae praesto erant, quum ii quos publico odio Roma fastidierat, tum, qui continuis hos lacessiverant judiciis, quum neque ii, qui privatis dividebantur litibus communi sese substraxerant periculo. Licet insignissimus terror occupavisset animos, Romae ad bellum haud paratae undique summum minitaretur periculum, commotum metu animum sagis sumptis [4]) testaretur populus, legati foederatorum poscentes, quam antea flagitaverant civitatem, cum contemptu senatu moventur. Immo audire mihi videor senatum, auctoritate Appii Claudii Cineae respondentem, responsum perlegens tunc ab illis datum: „Ubi poenitentiam suam socii approbassent, posse iterum de iisdem rebus legatos mittere: de cetero priusquam satisfactum senatui populoque Romano esset mittendi veniam non fore [5]).

---

[1]) Flor. III. 18.

[2]) Vell. II. 15.

[3]) Exceptionis enim modo narrat nobis Liv. 72. Serentium Galbam a Lucanis comprehensum unius feminae opera, ad quam devertebatur, captivitate esse exemptum.

[4]) Liv. Ep. 72.

[5]) Appian. I. 39.

Praeeunte forti populo Marsorum (Diod. Sic. XXXVII, fr. 2. Strabo, V. 4, 2), a quo et totum bellum nomen traxit (v. c. apud Hor. III. 14, 18) deficiunt Picentes, Peligni, Vestini, Marrucini, Frentani, Hirpini, Japyges, Lucani, Samnites [1]), alii populi e tota Italia meridionali. Gentes vero, loca trans Lirin fluvium tenentes, Romanos non nisi altero belli anno deseruerunt, Tusci nempe et Umbri; quos et antea adversus Drusum a consulibus offendimus adhibitos [2]).

---

[1]) Decem affert nomina populorum, dua urbium Appianus I. 39. Etsi a nullo scriptore tantus nominum afferatur numerus, fatetur Appianus se non omnium populorum attulisse nomina; addit enim nominatis populis „alios, eorum, qui sunt inter Lirin et angulum Ionii maris." Ceteri scriptores omnes minore cura populos enumerarunt. Liv. Ep. LXXII, quem et hac in re verbo tenus describit Orosius. V. 18. affert „Marsos, Pelignos, Vestinos, Marrucinos, Picentes, Lucanos, Samnites:" Strabo. V. Casaub. p. 241. horum quinque priores cum Frentanis: Diodorus XXXVII. fr. 2. „Picentes, Lucanos, Samnites, Nolanos:" Eutropius V. 3. „Marsos, Pelignos, Picentes:" Vellejus II. 15. „omnem Italiam:" Florus. III. 18. more suo „Picenum, *Latium!*, Etruriam, Campaniam."

Monetae superstites, osca aut latina inscriptione praeditae Romanis simillimae sunt. Cf. de iis Prosper Mérimée, la guerre sociale, addens scripto suo monetarum complurium imagines et descriptiones.

Hae monetae numerum conjuratorum populorum referunt nullius scriptoris numero parem. In iis enim occurrit numerus foederatarum civitatum (hominum iurantium modo stantium) octo, qui numerus infeliciter neque cum numero Liviano neque Appianeo quadrat. His octo nomina sua constituere non valemus. Una imagine significantur fortasse plures populi a Livio allati. Desiderantur in aliis monetis nonnullae imagines et vel quatuor vel duo tantum in iis conspiciuntur jurantes. Hae ad ea tempora verisimiliter pertinent, quo a sociis ad Romanos nonnulli populi defecerant.

[2]) Cur non statim defecerint Umbri et Tusci, nescio. Rationes variae

Sed et in ea parte Italiae, quam defecisse nobis tradit Appianus, plurimae Romanis favebant partibus civitates. De municipiis et coloniis Romanis monuimus. Nulla iis erat causa cur Romam desererent sociisque opitularentur. Fruebantur ea civitate iam diu, quam unice Urbis adversarii concupiscebant. Restant itaque coloniae Latinae et foederatae civitates. De prioribus certi quid in medium proferre difficillimum est. Nonnullas videmus a parte sociorum. Asculi enim v. c., in colonia Latina omnis furor erupit. Aliae contra Romae fidas se praestiterunt. Unde illa dissimilitudo? Puto colonos Latinos eodem modo, quo civitates foederatas, cupivisse civitatem, sed nihilominus cum sociis foedus inire non facile potuisse.

Praesidii loco impositi locis, incultis a populis genere a se diversissimis, Latini non facile cum gentibus illis coalescere potuerunt. Omnis docet historia, quam parum soleat devictorum odium erga victores, erga praesidia tollere consuetudo. Auxerant invidiam in dies privilegia Latinis concessa, sociis negata. Si addamus in illis coloniis affuisse semper gentes quasdam Romanas, quae etsi amisissent civitatem, non prorsus evaserant peregrinae, memoriam saltem consanguinitatis cum urbe Roma conservarant, immo in compluribus esse coloniis iure connubii quotidie necessitudinem cum urbe Roma firmatam,

---

eius rei dantur a Mommsenio R. G. p. 218 II. a Niebuhrio R. G. III. 613 et a Kienio, Die Geschichte des Bundg. Krieges. Hae omnes mihi vel propterea displicent, qnod eaedem rationes, quae primo anno a defectione hos prohibuerant, et altero anno prohibere debuissent, quominus seditionem molirentur.

constituendum de coloniis Latinis erit: Eas, etsi vehementer desiderarent civitatem coloni, ob causas allatas plerasque a Roma non defecisse; facile autem tales iniurias quales Asculanis illatae essent nonnullas coegisse ad defectionem.

Nonnullae foederatae urbes, Nuceria, Neapolis, Rhegium aut firmiter Romanas tuitae sunt partes, aut a sociis desciverunt ad Urbem. Verisimile videtur, aut meliorem talis urbis condicionem eam rem effecisse, (Neapolis enim postea accipit civitatem, postquam diu dubitassent incolae an fundi fierent), aut Romae metum a societate ineunda aut inita [1]) quasdam deterruisse. Tibur, Praeneste quominus deficerent impedivisse Romae propinquitatem putaverim.

His civitatibus addenda verisimiliter ea pars Italiae, quae vel maxime ad meridiem vergit. Nullus enim scriptor, Apulia uti tota desciverit, auctor est, unus tantum Appianus Japygiae Apuliae partis affert defectionem. Nemo seditionem Bruttiae, Calabriae nobiscum communicavit. His non obstant, quae dicunt Vellejus et Appianus „omnem descivisse Italiam." Vidimus quam multae sint, praeter meridionales illas civitates excipiendae et quatenus tenenda ita in vago dicta sint.

Nil parvi moliebatur omne illud robur [2]) fortissimorum fidelissimorumque sociorum. Deleretur Roma, excideretur sylva in quam refugere solebant raptores Italicae libertatis lupi [3]),

---

[1]) Initam societatem deseruisse videntur Pinnenses, de quibus infra.

[2]) Flor. III. 18.

[3]) Haec verba sunt Telesini fortis sociorum ducis, alia occasione adhibita nobisque relata a Vell. II. 27.

Urbs nova conderetur, Italica [1]) dehinc caput esset rerum consiliique publici, communis omnibus patria Italis. Eo nomine itaque donarunt caput Pelignorum Corfinium [2]), urbem magnam (?) [3]), pulchra in planitie sitam, millia passuum circiter tria a flumine Aterno [4]), nuperrime in societatem ab Italis receptam [5]), quam a septentrione et occidente defendebant Marsi, Vestini, Marrucini, a meridie et Oriente tuebantur Samnites, Frentani.

Hanc exornarunt foro, Romano certe multo maiore [6]), curia, Hostiliae aemula futura. Propter situm inter regiones quas attuli, in eandem quasi in armamentarium comportata instrumenta bellica, arma, opes, quas ad bellum gerendum collegerant et frumenti immensam copiam. Constituerunt ibidem senatum omnibus sociis communem 500 virorum, cui concedebatur libera et plena potestas, rerum bellicarum permittebatur administratio, *e quorum numero prodirent, qui honoribus ut in nova patria fungerentur digni essent, communis salutis viam monstrarent*, i e. novae essent civitatis legislatores [1]). Quemadmodum forum, curia, senatus, Romana eiusdem nominis aequiparabant instituta, in ceteris quoque cum Romanis mira est similitudo. Latis a novo senatu legibus, Italicam con-

---

[1]) Italica dicitur a Strabone V. 4. Italicum a Vellejo II. 16. Italia a Diod. Sic. — Diod. locus prae ceteris gravis est.

[2]) Praeter Strabonem Diodorum et Vellejum loquitur de Corfinio Flor. III. 18.

[3]) Diod. Sic. XXXVII. fr. 2.

[4]) Caesar. B. C. I. 15.

[5]) Diod. Sic. l. l.

[6]) Forum εὐμεγεθῆ dicitur a Diod. Forum Romanum parvum erat.

[7]) Ita unice vertere et intelligere possum locum Diodori XXXVII. fr. 2.

veniunt socii, novae civitatis facti cives, *comitia* habentur, *suffragia* rogantur, *declarantur consules* C. Papius Mutilus Samnita, prae ceteros populares factis et gloria belli insignis, Q. Popedius Silo, fortissimus et ille et belli cupidissimus [1]).

Iterantur comitia; praetores creantur 12 [2]). Totam in

---

[1]) Scribendum videtur Popedius. Nonius enim voce „opinio" fragmentum affert Sisennae scribentis Popedius. Fortissimum illum fuisse demonstrat Flor. III. 18, prodigium eum dicens, et Strabo V. 4. 2, qui totum bellum a Popedio praecipue nomen traxisse contendit. — Belli eumdem fuisse cupidissimum notum est; postquam enim cum Marsis compositum bellum esset ad Samnites ille transiit, bellumque renovavit.

[2]) Duodecim, qui primo fuerunt anno Mutili et Silonis praetores, afferre non possumus. Octo tantum nominantur, quorum septem T. Lufrenius, C. Pontilius, M. Egnatius, M. Lamponius, G. Judacilius, Erius Asinius, Vettius Cato, ab Appiano statim in initio belli citantur; brevi post Presentejus Poplius inter hujus anni duces refertur. — Ceterorum nomina, (non adjecto anno, quo duces fuerint, quia aut ignotum est aut ex historia apparebit) haec sunt.

Afranius (T.)	Flor. III. 18.
Cato. (Instejus.)	Vell. II. 16.
Clepitius. (Tib.)	Diod. XXXVII. fr. 2.
Cluentius. (A.)	Appian. Eutr. V. 3.
Francus.	Oros. V. 18.
Gratidius. (Mar.)	Flor. III. 18.
Gutta.	Appian. I. 90.
Herennius. (T.)	Eutrop. V. 3.
Juventius.	Oros. V. 18.
Obsidius.	Oros. ibid. Diod. Sic.
Telesinus Pontius.	Vell. II. 16. App. I. 90. Flor. III. 18. 21.
Trebatius.	Appian. I. 40.
Ventidius (P.)	App. I. 47.
Vettius (P.)	Eutr. V. 3. Seneca de Benef. III. 23.

duas dividit partes (provincias consulares) Italiam senatus, quarum fines ad Cercolas fuisse dicuntur [1]) a Diod. Sic. XXXII. fr. 2. Siloni obtigit provincia septentrionalis, Mutilo meridionalis decernitur. Utrique subiunguntur praetores sex. Illi consulibus essent legati. Sibi reservabant consules legatis suis subvenire, proficisci quocumque maioribus copiis esset opus.

Centum millia peditum equitumque mox (anno 91 exeunte de qua re cf. pag. 20) prorupere e belli ὁρμητηρίου

Variae res impediunt de horum ducum nominibus disquisitionem; nam et de anno, quo nonnulli duces fuerint dubitamus et fuerunt fortasse nonnulli ex allatis singularum urbium duces, quales fuisse docet Appian. I. 40. Certissime nonnullorum sunt nomina corrupta, idemque dux sic varia obtinuit nomina. Mihi saltem idem videtur consul a Diodoro laudatus C. Aponius Motilus cum C. Papio Mutilo. Praeter nominis similitudo persuadet mihi, scriptorum in patria Samnio utrique assignanda consensus. Dein, qui alterum laudat, alterius nomen non refert. — Maximum testimonium puto quod dicitur Motilus consul, et videmus primo anno maximas expeditiones, maximis copiis a G. Papio Mutilo susceptas. Certe consulibus tantum majores copiae concedebantur: praetores parva manu contenti erant. Addo Aponii nomen ab uno Diodoro afferri, scriptor, qui quam parum sibi in nominibus constet, vel in ipso Mutilo ostendit. Libro enim XXXVII. fr. 2. ult. Aponium, quem cum praecedente unum dicere ausim, Marcum dicit, quum ante Cajum eumdem appellaverit. Afranium cum Lafrenio utrum eundem dicam an non dubito. Idem videtur cum Vettio Catone (P. vel T.), Vettius, Vettius Scato, Ventidius, (fortassis et Instejus Cato). Afferri hic debet et Agamemnonis Cilicis nomen, viri propter caedes quasdam et rapinas Asculi a Romanis captivitate puniti. Ille a Picentibus liberatus assumtis pristinis criminum comitibus copiisque quibusdam a Marsis donatus, agros populatus est hostium, ejus rei peritissimus factus prioris vitae factis. Archipirata enim ab Orosio V. 18 dicitur.

[1]) In septentrionali Samnii parte eas fuisse contendit Kiene.

dumque adhuc Romae bellum pararetur, ex agris suis hostes pellere, colonias Latinas et civitates, Romae adhuc faventes, oppugnare coeperunt. Nominatim Albam coloniam (itaque urbem in Marsorum finibus, supra lacum Fucinum, eo deductam anno 319: Becker l.l. pag. 99) et Aeserniam (in Samnio, deductam anno 269) esse ab Italicis obsessas traditur [1]). Initio itaque hae partes Romanorum, etsi instarent socii, relinquere noluerunt. Ignoramus an diu restiterit et an revera capta sit munitissima Alba; Aesernia, etsi acerrime sese defenderent oppidani et in urbem penetraverit auxilium afferens M. Marcellus [2]), tandem in Samnitium venit potestatem.

Exempli gratia tantum has esse a Livio urbes citatas, quis dubitat? Certissime multae aliae civitates eodem modo quo illae obsessae propter Romae favorem, summis sese intentis viribus defenderunt, nil boni sibi futurum sperantes si caperentur, quod iam ante urbis expugnationem hostium eximiam experirentur saevitiam, quam sociis imputat, Picentibus inprimis, Dio [3]), illustrant paullisper Diodorus Siculus [4]) et Valerius Maximus [5]) Pinnae exemplo.

---

[1]) Cf. Liv. Ep. libr. 71.

[2]) Marcellus eo pervenisse mihi videtur quum iam obsideretur urbs, quia in ipsa obsidione praetor dictus est. Marcellus itaque non adfuit in initio Aeserniae obsessionis, quum tamen tunc, quum urbs caperetur in illa degeret.

[3]) Dio apud Vales. p. 641.

[4]) Diodorus XXXVII. fr. 27—31.

[5]) Val. Max. V. 4. Ext. 7.

Pinna, Piceni Urbs, non longe a mare supero, videtur una cum sociis defectionem esse molita et obsides misisse fidei pignora [1]), dein vero, qualicunque tandem de causa, ad Romanos iterum a sociis defecisse. Cinctam obsidione urbem frustra vi capere tentarunt socii. — Etsi enim longe superaretur a hostium copia defensorum numerus, satis superque ille defectus maxima compensabatur fortitudine, ita ut nomina Pultonis afferre similiumque fortitudine excellentium plane sit supervacaneum. Cum et persuasione frustra oppugnantes oppidanos permovere tentassent, facinus perpetrare ausi sunt, crudelitate insigne. Prope ad moenia adducentes quos habebant Pinnensium liberos, tendentes ad coelum manus, eorum querelis et precibus, minis suis ad defectionem parentes pellicere conati sunt.

At neque sic Pinnensium fides labefacta est. Immoti viderunt suorum miserrimam, urbi femineo ululatu iam ante praesagiatam caedem, clamantes „se facile esse liberorum illorum necem laturos; posse aliorum procreatione horum rependi iacturam; illis se minis non magis a Romanorum societate deterreri."

Expugnationem huius urbis non magis qnam Albae Fucentiae referunt scriptores antiqui, neque aberrare a vero nobis videmur, si statuamus perpaucas, esse obsessarum urbium a sociis captas; primum, quum acriter et diu se defendisse omnes ex exemplo Pinnae Aeserniaeque suspicari licet; dein vero, quia huiuscemodi rebus

---

[1]) Sic enim unice explicari potest Pinnensium liberos et senes fuisse in potestate foederatorum. Cf. Diod. l.l. fr. 27, 29, 30. Valer. l. l.

nuntiatis, festinasse ad bellum Romanos, retraxisse ideo foederatos ab urbibus oppugnatis exercitus suos, nisi prorsus, magna saltem ex parte: oppugnatis vero, minore hostium numero, propinquitate Romae copiarum animos auctos esse satis certum est [1]).

Interim enim in Urbem sine intermissione convenerant copiae, ita ut 100 000 sociis opponi possent milites Romani totidem.

Incredibilem in modum vires intenderant cives. Praesidiis ubicumque opus erat et satis ampla pars civium ideo et municipiis et coloniis et Romanis et Latinis, quae fidem praestiterant, praesidii nomine imposita est. — Perquam multi certe in ipsa Urbe relicti sunt, ne expeditione tali, qualem susceperat Silo, iterata, summum adduceretur

---

[1]) Docebit et chronologica computatio non ita diu obsessas fuisse urbes, quum exercitus proruperent Romani et his maxima pro parte finem imponerent obsessionibus. Idibus adhuc Septembribus Drusi favet coeptis senatus (Cic. de. Or. III. 1.); sensim paullatimque eius gratia imminuta, abrogatae dein eiusdem leges, tandem confossus est: quae rerum conversio paucis diebus fieri non potuit, ita ut mense Novembri (saltem non ante obiisse Drusum facile mihi concedetur. Si ponamus, quam rem haud facile quis negabit, initio anni, itaque mense vel Aprili vel Martio, prima esse proelia a sociis cum Romanis commissa, constipanda sunt intra 4 vel 5 mensium spatium „coitiones coniurationesque foederatorum," subita Asculi defectio, legatio Romam a sociis missa, Italicae constitutio et novae civitatis legis latio, exercitus foederatorum comparatio, coloniarnm Latinarum, civitatum, quae a Romanis stabant, obsessio. — Obsessae itaque fuerint urbes plurimae, plurimae certe nondum expugnatae erant, quum primum acie manus cum Romanis consererentur. Quum vero retractis ab obsessis locis copiis, cum imminuto hostium numero res fuerit, paucissimae certe sese tradere coactae urbes sunt.

in periculum Roma. Nihilominus immensas iidem Romani compleverunt exercitum, ita ut vel 18^{ae} legionis fiat mentio [1]).

Latini nominis auxilia verisimiliter nullius ferme fuerunt momenti; quandoquidem a sociis lacessebantur modo quem indicavimus, aut nullius aut exiguae tantum utilitatis esse poterant Romae. Eodem modo auxilia Tuscorum Umbrorumque, qui et ipsi eo anno a sociis defendere sese debebant aut parva aut nulla omnino fuisse arbitror, qua in sententia confirmat me scriptorum omnium silentium.

Sed auxit copias Urbis una illa legio a Minatio Magio, Velleji Paterculi [2]) atavo, Asculanensi, in Hirpinis collecta, quae T. Didio Herculaneum expugnanti, L. Sullae Pompejos oppugnanti, Cosam occupanti praesto fuit; auxerunt easdem Numidae, quales in castris Caesaris occurrunt [3]), cum Gallis quos intensa opera Romae praestiterat Sertorius. Ille enim festinatione et studio supereminens ignaram inertemque iuventutem Romanam, quaestor in Galliam missus Circumpadanam ingentem militum numerum, (10000 in castris Caesaris erant), armorum maximam comparavit copiam [4]).

Classis, qua postea agentem videbimus Postumium Albinum Romanis praebuit Asiaticarum diligentia urbium inter quas nominantur Heraclea Pontica, (quae duas praestiterit triremes tabulatas adversus Libycas! gen-

---

[1]) Cf. Mommsen. II. 222.

[2]) Vell. Pat. II. 16.

[3]) Appian. B. C. I. 42.

[4]) Cf. Plut. vit. Sertorii c. 4.

tes [1]) Marsos, Pelignos, Marrucinos) Karystos, Klazomenae, Miletus [2]).

Unice hic attuli eas civitates, quas ut auxilia miserint Romanis auctores sunt scriptoris antiqui. Addantur hisce necesse est complures aliae, quarum benevolentia crevit Romanus exercitus ant praemio [3]) milites ad bellum alliciebantur. Ita Gallis v. c. solutum esse praemium e cumulatis in aerario thesauris propterea crediderim quod et adversariis iidem praesto sunt [4]), quemadmodum et Artaxerxi et Cyro minori quondam Graeci.

Romanos alebant exercitus agri Campani [5]) fructus, quod explicat, cur in illa praecipue moratus sit consul alter Papius Mutilus ibique fere unice manus cum Romanis conseruerit.

Ad hanc itaque regionem pertinet verisimiliter pugna, quam obscure nobis indicat Diodorus Siculus [6]).

Ceterum consules S. J. Caesarem et L. Marcium Philippum exeperant L. Julius Caesar [6]), P. Rutilius Lupus.

---

[1]) Memnon apud Photium.

[2]) Cf. de hac tota re Mommsen. l. l.

[3]) Sumptuosum admodum fuit Urbi hoc temporis spatium. Initio belli socialis auri pondo 1620829 fuisse in aerario dicit Plinius, etsi iis verbis opes aerarii videntur maiores quam fuere esse propositas, constare ex iis videtur, ditissimam tunc temporis fuisse Urbem. Brevi post autem venduntur Romae loco sacra, cum penitus exhaustum esset aerarium. Cf. Plinius H. N. XXXIII. 55. Oros. V. 18.

[4]) Cf. Appian. I. 50.

[5]) Cic. de leg. agr. libr. II. c. 29.

[6]) Diod. Sic. XXXVII. fr. 34.

[7]) Dicuntur hi consules in fastis consularibus L. Julius, S. n. Caesar et P. Rutilius, L. filius, L. n. Lupus. Cf. Fischer Röm. Zeittaf. sub anno 664.

Caesari obtigit meridionalis, Rutilio septentrionalis belli provincia. Illi legati adduntur Cn. Pompejus Strabo, Q. Caepio, C. Perpenna, C. Marius [1]), Val. Messala: huic assignantur Publius Lentulus, Titus Didius, Licinius Crassus, L. Cornelius Sylla, M. Marcellus [2]), Armis faciendis praeponitur Piso [3]). Moenibus et portis reficiundis, cominus imminente periculo summa impenditur opera.

---

[1]) Dicuntur a Cic. pro Fontejo 15 Cornutus, Sylla, Cinna praetorii homines belli gerendi peritissimi; Marius, Didius, Catulus, Crassus non litteris dicuntur homines ad rei militaris scientiam sed rebus gestis et victoriis eruditi.

[2]) Appian. I. 40. Alii praeterea nominantur legatt. M. Antonius, Sulpicius (Cic. Brut. 89), Metellus (Vell. II. 15), Cornutus, Cinna, Catulus (Cic. pro Font. 15), alii qui aut plane ignoti sunt, aut bello ineunte exertui hic illic iam praeerant, ant postea alios exceperunt, et suo referentur loco.

[3]) Cic. Pis. 36.

CAPUT IV.

BELLI HISTORIA. ANNUS PRIMUS.

Nemo sine risu perleget Diodori descriptionis belli Marsici prooemium. Sic enim ferme exorsus:

„Historia ex quo facit, ut longos durent bene gesta per annos",

„nulla umquam rerum a mortalibus gestarum belli Marsici obscuravit gloriam." dein longo ordine cum tumultu Italico comparat Troadis invasionem, Persarum cum Graecis certamina, Gelonis cum Poenis proelium, Alexandri magni expeditiones, bella Punica, Cimbrorum incursiones et operae pretium est argumenta inspicere, quibus et ipse credere et aliis persuadere velle videtur, sociale bellum prae notissimis omnibus splendore facinorum, firmisque ductorum animis elucescere.

Quam opinionem quum merito reiiciam, nihilo magis

tamen mihi placet vulgaris de bello sociali existimatio. Revera fuit bellum gravissimum. Immensa pecuniae in illud consumpta est vis, incredibilis perpaucis annis periit iuventutis multitudo, „numquam a Brenni Porsennaeque tempore tantopere est Urbs periclitata, tamque minax ei impendit exitium." — (Kiene).

Collegi, prouti mihi copia fuerit, huius belli historiae relliquias omnes, quas qnam accuratissime potero ordine disponere conabor, nullam rem praetermittens gestam, quandoquidem fontium incredibilis siccitas, vel tenuissima spernere vetat.

Dimisit consul Caesar initio huius anni, quum aut copiae omnes nondum essent paratae, aut firmaret adhuc fines Latii et Etruriae praesidiis, M. Marcellum praetorem Aeserniam, quam vidimus esse urbem praecedenti anno obsidione cinctam. Quum eo perventum esset, modo, opinor, quo postea apud Asculum fecerit Judacilius, hostes ille petivit, verisimiliter ab iis devictus est et in urbem penetravit. Quae res cum exasperasset socios, arctius urbem cinxerunt, ita ut mox gravi fame premeretur [1]), quam quomodo tulerit statim apparebit.

Caesar [2]) ad interim ea diligentia bellum paraverat, ut mox subvenire legato talibus in angustiis degenti potuerit.

Hoc certe consilio castra movit, e Latio prorupit et,

---

[1]) Oros. V. 18.

[2]) In his et sequentibus huius anni rebus gestis fons mihi est Appianus B. C. libr. I., a capite inde 40mo ad 49um.

quum haud procul ab urbe Aesernia abesset [1]), obvius factus est duci Marsico Vettio Catoni. Ille, exercitui Samnitium Marsorumque [2]) praepositus, mox cum consule manus conseruit, Romanos fugavit, 2000 interfecit. Recessit Caesar [3]), fugientem consulem persecutus non est Vettius Cato, neque alium quemquam ita fecisse aut crediderim, aut traditum invenio. Contrariam in partem eae abeunt Catonis exercitus partes, de quibus mentio nobis facta est. Relinquitur enim ad Venafri obsidionem Samnitium dux Marius Egnatius, dum ipse Vettius Cato cum Marsis suis Aeserniam petat. Venafrum an diu obsessum sit, nescimus: proditione tandem captum est et duas cohortes (1000 circiter milites) Romani praesidii ibi Egnatius concidit.

Aeserninorum vero horribili fame tristissima haec inter eraserat condicio [4]). Quum inviti servos eiecissent, ut

---

[1]) Oros. l.l.

[2]) Samnitium praesentiae Liv. Ep. 73 testis est. Marsos adfuisse puto, quod est Marsicus dux Vettius Cato; dein, quod est consularis Caesaris exercitus: maiore itaque numero militum adversus consulem opus certe erat, quam ut ab uno populo Samnitium posset praestari. Neque dubito quin hac ipse in re fuerit Catonis collega Mar. Egnatius, quem brevi post ad Venafrum, dein iterum his ipsis in locis offendemus.

[3]) Romam fortasse, si huc pertineant Flori III. 18. verba „Ipse Julius Caesar amisso exercitu, cum in Urbem cruentus referretur, mediam etiam Urbem perviam fecit." Ad pugnae cum Mario Egnatio tempus referri haec non possunt: tunc enim Teanum se recepisse Caesarem, docet nos Appianus.

[4]) Videtur Vettius mox illam obsidionem aliis (Egnatio fortasse, postquam ille Venafrum cepisset), reliquisse. Mox enim alio eundem offendimus loco.

quam diutissime retardaretur urbis propter inopiam traditio, absumto et illo modo omni penore, canibus, omnibus coepere animalibus vesci, quorum gustui adversatur humana natura.

Servos bene esse a sociis exceptos traditur [1]) et eosdem milites scriptos, pristinos una cum foederatorum exercitu oppugnasse dominos, affirmare ausim. Saepe enim idem obtigisse servis videbimus. Ad summam desperationem ventum est quum Sylla, 24 cum cohortibus [2]) missus [3]), primum vasta caede hostium [4]) urbem servasse videbatur, dein ipse vix imminens a Papio Mutilo periculum dolo effugit. Ab eo tempore desponderunt animum Ae-

---

[1]) Tota tristis illius condicionis Aescrniae descriptio petitur e Diodoro Siculo lib. XXXVII. fragm. 24 et 25.

[2]) Orosius l.l.

[3]) Audacius fortasse videtur, strategema a Frontino I. 5. 17 traditum, referre ad hanc Syllae expeditionem; affero itaque quae me movent. Semel tantum dehinc ad Aeserniam inveniemus Syllam, tum, quum Papius, Syllae dolo deceptus, vix eum effugit Aeserniamque se contulit. Ad hanc itaque occasionem verba Frontini referre non possum. Novimus praeterea, esse Aeserniam revera a sociis captam et diu fuisse caput consilii publici. Syllae itaque expeditio obsessos in breve tempus recreavit, non ab obsessione liberavit. — Idoneam causam, cur recesserit urbemque reliquerit Sylla, nemo affert, nisi Frontinus. — Scio esse, qui ita statuant, Syllam ad Aeserniam servandam non venisse, propterea quod tunc temporis illum legatum ibi non videmus agentem. Nihilominus verba Orosii teneo, quia et Judacilium ducem Italicum eodem hoc anno et in Apulia et apud Asculum invenio et non miror, talem esse expeditionem Syllae creditam, qui eadem audacia et celeritate, ut observat Mommsen, adversus regem Bocchum similem expeditionem et susceperat et ad finem perduxerat.

[4]) Oros. ibid.

serniae qui praesidium efficiebant. Habitu servorum urbem obsessam effugerunt L. Scipio et L. Acilius, quam mox coactus est hostibus tradere M. Marcellus, post diuturnam eamque acerrimam defensionem [1]). Urbem esse deletam e Strabonis verbis conjicio [2]).

Fato aeque tristi ac Marcellus, occubuit et M. Licinius Crassus [3]). Praemissus et ille, ut videtur, a consule in Lucaniam, quum prope virgulta silvasque consedisset, incendio castris exuitur. Turbatum exercitum invadit paratissimus generosissimusque Lucanorum dux Lamponius [4]), ipse ut miles gregarius periclitans. Fuditur Crassus amissisque 800 subire cogitur Grumentum, armato cingitur milite, eo minore salutis spe, quo remotior erat consularis exercitus, unde unice exspectari auxilia poterant.

Italicorum haec inter consul Papius Mutilus petiit Nolam [5]), cui praesidium 2000 militum imposuerant Romani. Proditione in urbem immissus eaque potitus, per praeconem militibus proposuit Romanis, ut ad se transirent militesque scripti sociorum, secum stipendia facerent; nulla mora omnes oblata accipiunt exceptis unice praesi-

---

1) Cf. Liv. Ep. 73.

2) Cf. Strabo, libr. V. Casaub. pag. 54.

3) Fontes sunt Diod. lib. XXXVII. fr. 33, Frontinus, duobus locis idem narrans, libr. II. IV. 16, IV. VII. 41.

4) Lamponii cognovimus animum e Diod. Sic. lib. XXXVII. fr. 33.

5) Nola ab epitomatore Liviano, (Ep. 73) iniuria dicitur colonia. — Tunc enim temporis colonia non erat. Vespasiani tempore eo sunt colon deducti.

dii ducibus, praeeunte L. Postumio praetore [1]). Hos itaque comprehendi, lentaque fame deperire Papius iussit.

Stabiae dein, Liternum [2]) et colonia Romana Salernum ab eodem capta sunt. Captivos vero ex iis servosque milites scripsit. Quum vero agros Nuceriae vicinos popularetur flammisque vastaret, perterritae urbes vicinae [3]), similem timentes sortem, Papio se tradiderunt eique roganti exercitum praebuerunt 10000 peditum additis equitibus mille. In dies ita crescente exercitu, Acherrarum tendit ad moenia, longarum, ut ita dicam, victoriarum terminos, consul Mutilus.

Dictu vix opus est, quam magno terrore sit Romae auditum, Campaniam ab hostibus esse petitam, invasisse pulcherrimum Romae fundum Italicum consulem, vastari horreum legionum, iacturam Urbi impendere belli subsidii, fundamenti vectigalium, quanta sit diligentia decretum, huic uni regioni ante omnes esse vires vovendas, quanta festinatione sint damna reparata Caesariani exercitus, sit ipse consul Acherras profectus ad Papium cohibendum. —

---

1) Totam historiam nobiscum communicat Appianus. — Postumii nomen invenio apud Liv. Ep. 73.

2) Minturnas, coloniam Romanam, eum hac occasione cepisse, (uti volunt e vulgata lectione Appiani nonnulli), vetat situs geographicus. Dubitans admodum Literni nomen scribo, etsi haec sit urbs ceteris captis proxima. — Colonia enim est Romana eaque eodem anno (194), quo Salernum deducta. Vix intelligere me fateor, qui fiat, ut si revera sit scribendum apud Appianum Liternum, unice Salernum vocet coloniam Romanam scriptor.

3) Inter quas et Herculaneum affert Mommsen et Pompejos: priorem urbem, quia postea Romanus. Didius eam oppugnat: alteram vero, quia a Sylla deinde obsidetur.

Haud ita diu itaque urbem obsidione cinxerant Italici, quum et Romanus advenit excercitus. E regione Papii posuit castra Caesar; neuter per plures dies excercitum in aciem producere ausus est. At quum armis diffideret Mutilus, dolo nihilominus consulem aggressus est Romanum.

Aderant in excercitu Caesaris peregrini permulti. Galli enim pedites 10000, quos Sertorii maxime opera collectos vidimus [1]), in excercitu Romano stipendia merebant cum peditibus et equitibus Numidicis permultis. His praecipue insidias suas struxit Papius. Nam venerat in sociorum potestatem nuperrime urbs Venusia [2]) et, qui in ea asservabatur a Romanis, Oxynthas, Jugurthae regis filius. Hunc, inde Acherras abductum, purpurea veste circumdedit; quotidie produxit ante Numidarum oculos Papius. Quorum quia fides labefacta est permultique ad regium transfugerent puerum, coactus est Caesar reliquos in Africam dimittere. Eo successu elatus Papius, cum contemptu Caesaris castra aggressus est. Castris sese, quasi ab hoste timerent Romani continuerunt, ita uti palos eruere et effringere jam coepissent Samnites et Lucani [3]), quum subito equitatus, qui porta vel decumana vel principali prorumpens clam hostes circumiverat, a tergo hos petivit. Undique pressi mox in fugam vertuntur, 6000 circiter ibi cadunt. Imperator ob laetum successum ab exer-

---

[1]) Plut. v. Sertorii. Cap. 4.

[2]) Illa urbis a Judacilio obsidio, in expeditionibus hujus ducis referetur.

[3]) Hos affuisse testatur Oros. V. 18.

citu proclamatur[1]) Caesar. Romae, ubi id auditum est, saga ponit, togas resumit populus[4]).

Grave videtur interea periculum aut Campaniae parti superiori, aut Latio impendisse a Mario Egnatio. Haud facile enim aliter explicaveris, qua de re, post victoriam de Papio reportatam, tam subito Acherras deseruerit Caesar et ita Italicis quasi permiserit brevi post, quum essent damna resarcita, Acherrarum resumere obsidionem. — Summa consul festinatione[3]) collegit copias, pedites numero 30000, equitum millia quinque; cum omnibus hisce profectus est, licet ipse esset morbo implicitus et, incautius fortasse ob id ipsum, quod ad hostes properabat, procedens, in insidias incidit. In augustiis enim prope Teanum Sidicinum ab hoste deprehensus, fugam cum exercitu capessivit, dum ipse propter morbum lectica veheretur. Gravissime in illa fuga exercitum afflixit fluminis transitus. Quum enim in eo unus tantum pons esset, impeditum exercitum undique hostes adorti majore ex parte interficiunt. Reliqui armis amissis et vix secum trahentes aegrotantem ducem, Teanum se receperunt. Novis ibi adsumtis auxiliis rediit Caesar Acherras, quas sicuti indicavi denuo cinxerat Papius. Nulla proelia dein neque a Caesare commissa neque a Papio memorantur provocata. Immotum remansisse ad Acherras utrumque exercitum, Appianus tradit.

---

1) Oros. l. l.

2) Liv. l. l. Oros. l. l.

3) Etsi enim requireretur ejus praesentia in Urbe, uti comitiis praeesset, huic rei vacare non potuit.

Inter omnia vero hujus anni proelia minime nobis innotuerunt pugnae duce Judacilio in Apulia commissae. Sponte ad eum defecisse invenio urbes plurimas, quarum citantur Canusium, Venusia (ubi Oxynthas inventus est). Alias vi ab eodem esse captas traditum est. Auxerit more Italicorum suum exercitum, assumens servos, Romana praesidia, cives ignobiliores e quaque a se expugnata civitate. Morte vero multati sunt, quicumque his praefuerant principes Romani.

In septentrionali Italiae parte bellum eodem hoc anno moverat Q. Popedius Silo, cui illa erat a senatu Italico provincia belli decreta. Huic opposuerant Romani, Pompejum Strabonem, Caepionem, Perpernam, C. Marium, Valerium Messalam legatos [1]. Consul iis praeerat P. Rutilius Lupus, vir ardens, summae erga milites aequitatis [4], in bello audax, ceterum inconsultus, iracundus, diffidens [3].

Jam statim Rutilii expeditiones haud prospere cessere: omnia semper ejus consilia hostibus erant prodita. Exarsit illa re vir a proditione ipse alienissimus et, qua erat iracundia, haud satis explorata re, patricios in exercitu suo hujus esse rei auctores ratus, Romae eos accusat.

Quae accusatio eo valuit, ut utraque posceret pars, accuratius ut in eam rem inquireretur. Mox apparuit copiis, quae frumentandi causa castra reliquissent, sese immiscuisse Marsos quosdam speculatores, cum his fossam

---

[1]) Vide Diss.

[2]) Cf. Frontinus IV. 1. 12.

[3]) Eam fuisse ejus indolem ex ipsa historia apparebit.

intrasse et inter Romanos hic illic et audivisse et adspexisse, quae vel pararentur vel futura dicerentur [1]).

Etsi vero ita sublata esset haec calamitatum causa, graviores traxit in casus et magnam exercitus Romani partem consulis indoles, quam nec correxere Marii prudentissima consilia, nec clades sanarunt legatorum, ita ut sua imprudentia immaturam mox sibi pepererit mortem.

Marium enim, quem semper videmus fortem, sed semper etiam prudentissimum ducem, callidissime semper exspectantem donec offerretur optata occasio [2]), illa prudentia saepissime res ad felicem perducentem exitum, tardiorem fecerat senectus, (65um compleverat aetatis annum), corporis obesitas, nervina (uti medici loquuntur) anaesthesia [3]). — Nihilominus gloria pristina, affinitate [4]) cum consule fretus, senectute auctoritatem quandam assecutus omnibus sese belli negotiis immiscebat, consulis ad suum refingere ingenium studebat, quotidie hortatus „moram bello utilem fore, paullisper in castris exerceri militem oportere tironem" [5]).

Sed diffidentem consulem et ardor et Marii fallaciae opinio [6]), prohibuere quominus etsi ingrato, utili tamen

---

[1]) Inveniuntur haecce apud Dionem Cass. fr. 96.

[2]) Cff. verba Plutarchi in Apophtegm. Ed. Reiske t. IV. pag. 763. (ἐκαρτέρει ὁ Μάριος τὸν οἰκεῖον ἀναμένων καιρόν).

[3]) Plut. Mar. c. 33, 34.

[4]) Oros. V. 18.

[5]) Oros. V. 18 haec verba Mario tribuit, Cassius Dio „victu privari debere hostem propterea nullum cum iis committendum esse proelium."

[6]) Oros. l.

consilio assentiretur; quae causa fuit cur in tantas immiserit Romanum exercitum difficultates Rutilius, ut provida Marii mens fessis succurrere rebus vix valuerit.

Dimissum legatum Perpennam petivit cum 10000 armatorum Presenteius Poplius, 4000 interfecit, reliqui agminis armorum maxima parte potitus est. Rediens ad consulem suum Perperna imperio ab irato consule exutus est; copiarum relliquiae Mario decretae sunt.

Haec inter constiterant [1]) exercitus Rutilii et Vettii Catonis Marsorum ducis in finibus Latii et Sabini. Dividebat eos Tolenus fluvius, quem transgressurus, pontes duos struendos curaverat consul Romanus.

Ad utrumque pontem Romanorum pars posuerat castra, quorum ad meridiem vergebant, quae ipse consul tenebat, septentrionem spectabant, quae Mario mandata erant. Ab altera fluminis parte sed Marii propius pontem consederat Cato, qui, cum quid pararetur animadverteret, nocturno tempore castra exit et paucissimis relictis omnes copias in insidiis collocavit prope Rutilii pontem: cui proposito nimis favit loci natura. Montium enim convallibus ita celabantur Marsi, ut nullum hostem animadverteret Rutilius. — Is itaque primo mane sacra fecit et, etsi iocinoris hostiae caput deesse renuntiaretur, procedere in pontem copias coegit [2]).

Primos transgredi passus est Vettius. At mox quum pars transiisset, pars in ipso ponte, pars adhuc in adversa

---

[1]) Huiusce pugnae praeter App. fontes sunt Liv. 73. Oros. V. 18.

[2]) Iul. Obsequens c. 115.

fluminis ripa conspiceretur subito prorupit, impeditum exercitum plane devicit, partem in dextra ripa concidit, partem ex ponte in aquam deturbavit. Horum cadavera a flumine ad se vecta animadvertit Marius [1]) forte fortuna stans in altero ponte. Suspicatus mali aliquid Rutilio accidisse, secum rapuit, quibus forte obvius factus est, ceteros quam celerrime se subsequi iussit et hisce primum Catonis castra a paucis tantum defensa cepit, dein in ipsos hostes invectus et hos devicit, 8000 interfecit. Sed et Romanorum 8000, nobilium permulti eo die desiderati sunt [2]). Ipse consul, quum telo caput percussum esset, mox animam efflavit [3]). Cadavera principum Romam asportata insigni maerore ibi accepta sunt, ita ut per plures dies luctus fuerit tantumque exstiterit belli fastidium, ut senatus decreverit, „cadavera dehinc ne Romam deveherentur, ne a bello gerendo cives deterrerentur." Quod quum audivissent socii, idem apud se quoque ratum esse voluerunt. Noctem transegit Cato ibi, ubi vicerat. Postero die cum suis frumenti inopia recessit. Mario sunt caesi consulis copiae datae. Consul suffectus in reliquam anni partem non creatus est, quandoquidem comitiis consularibus vacare se non posse putabat consul alter.

Marius quomodo bellum traxerit, e praecedentibus efficere facile possumus. At cunctando rem servare conatus,

---

[1]) Orosius l. l.

[2]) Hos numeros affert Orosius V. 18. — Appianus Lirim flumen citat, Ovidius, (Fast. VI. 565), sicut et Orosius, Tolenum, addens pugnam commissam esse festo Matris Matutae, 11° die mensis Junii.

[3]) App. Eutr. V. 3. Vell. II. 16. Obs. 115.

diu populi Romani gratiam retinere non potuit; nam, quasi repeteretur belli Hannibalici historia, aequatum illi est cum Caepione, ob feliciter commissam pugnam, imperium [1]). Hic, ut olim Minucius Rufus, a fortissimo est hostium duce plane devictus. Adiit enim Caepionis castra Popedius Silo, simulatus, se transfugisse ad Romanos et velle se Caepioni tradere Marsorum Vestinorumque [2]) copias omnes, dummodo se sequeretur Romanorum satis magna manus. Obsides secum duxerat duos liberos, regio luxu vestitos, quos suos esse fingebat, magnasque plumbi massas, auro et argento obductas; quae omnia quum Caepioni tradidisset, rogavit, ut statim se Romani sequerentur: „posse enim facilius hostes superari, quum adhuc duce carerent." Non sensit dolum Caepio: bona fide secutus est Marsicum ducem, qui, cum eo pervenisset, ubi insidias Romanis posuerat, collem conscendit, quasi speculaturus, revera suis signum daturus: quo sublato undique hostes apparuerunt, Romanos invasere, miserrima caede exstinxerunt. Non effugit ipse Caepio [3]). — Relliquiae exercitus a senatu Mario redditae sunt.

Bis deinde cum Marsis Marium conseruisse manus invenio, licet saepius certe ad pugnam Romanos provocaverint adversarii, idque eo audacius, quod Caepionis caesus exercitus animos auxerat, Marii tarditas timoris praebebat speciem. Quum itaque in dies negligentius et audacius Marii castrorum valla subirent socii, tandem idoneam

---

1) Liv. Ep. 73.

2) Oros. V. 18.

3) Eutr. V. 3.

nactus occasionem [1]) dux Romanus prorupit gravique Marsos clade affecit, multos interfecit, reliquos in fugam vertit et inintermisso persecutus est, donec ad loca pervenissent vitilus consita, quae intrarunt illi, non subeunda esse Marius decrevit. Fugientes vero Marsi in manus inciderunt Syllae, qui forte ab altera vitium parte castra habebat. Suspicatus quod factum erat, cedentes excepit, magna ex parte interfecit.

Eo die socii ceciderunt amplius 6000, 7000 armis exuti sunt [2]). Herius Asinius dux desideratus est [3]).

Aegerrime cladem tulere Marsi: mox repetiverunt Marium, ita reparato exercitu, ut neque impetum in eos facere neque proelium offerre auderent Romani, castris vero sese cohibens Marius nullam daret hostibus proelii occasionem, Marsorum quotidiana provocatione, non magis quam antea Cimbrorum conviciis et illusione, se accendi pateretur [4]).

---

[1]) Plut. Mar. 33, Apophtegm, Reisk. t. VI. p. 762.

[2]) Oros. l.l.

[3]) Liv. Ep. 73. Omni intentione Marii proeliorum scriptores scrutatus sum. Unam enim hancce Romanis prosperam pugnam in duas dividit Mommsen, cuius rei me non invenisse causam fateor. Fontes sunt Plutarchus, Mar. 33, Livius, Ep. 73, Appianus, B. C. I. 46, Orosius V. 18; unam pugnam memorant duo posteriores: duas equidem Livius et Plutarchus sed ita, ut altero proelio „dubio esse pugnatum exitu" ambo consentiant. Prosperas pugnas Mommsenii itaque in unam contraxi, de dubio illo certamine mox scripturus.

[4]) Plut. Mar. 33. Egregie hanc placidam illustrat Marii mentem Plutarchus. Refert enim haecce. Quum Popedius Silo consul, maxima inter hostes auctoritate, Romanum ducem ad pugnam provocasset his verbis

Tandem more suo hostes adortus, quum nil tale futurum sperarent, quominus oblato casu frueretur, impedimento militum imbellitas fuit. Admodum dubio itaque eventu pugnatum graviterque in castra redux in milites est invectus Marius [1]).

Inter primas huius anni res gestas numeraverim Serentii Sulpicii de Pelignis reportatam victoriam [2]), Pompeji Strabonis (magni patris) adversus Picentes expeditionem. Senatus iussu Pompejus Asculum dimissus, omnium belli malorum originem, ea de re primo poena afficiendum, ab incolis eius urbis dolo captus [3]), vi reiectus, dein prope Falernum montem incidit in copias Lafrenii, quibus pro tempore iunxerant sese Vettii et Judacilii Asculanensis manus [4]). Hinc Firmum fugatus, obsidione ibi a Lafrenio cingitur, ad alia belli facinora accingitur Vettius, in Apuliam abit Judacilius [5]), mox inde laboranti patriae auxilio rediturus.

Pompejus vero novis copiis corroboratus, armatis omni-

Si magnus sis dux, o Mari, progredere e castris et mecum manus consere,"
espondit Marius ad pugnam non magis quam ante propensior.

„Tu, Popedi, si magnus haberi velis dux, coge me ad pugnam committendam, etsi pugnare nolim. — Cff. Plut. Apophtegmm. Reisk. Vol. VI. p. 762.

[1]) Plut. Mar. l.l. Nulla dein proelia Marius cum Marsis commisit, sed vallis se continuit donec magistratu ab ire.

[2]) Liv, Ep. 73.

[3]) Vide dolum illum apud Frontinum III. 18. 8.

[4]) Hanc rem tangere videtur Orosius. V. 18.

[5]) Cf. App. B. C. I. 42.

bus, qui e fuga Firmum sese receperant, haud ita diu se a Lafrenio obsideri passus est [1]).

Serentium enim iubet Sulpicium, victis e Pelignis auxilio sibi venientem, a tergo hostes petere, dum ipse urbem egressus a fronte Picentes invaderet.

Graviter initio uterque exercitus premebatur dubiaque diu stetit victoria donec animadverterint a Sulpicio incensa castra Picentes; quae res talem in modum eos perterruit, ut nullo capessiverint ordine fugam quumque nullis obtemperarent iussis, Asculum sese reciperent [2]). Pugnans cecedit Lafrenius. Romae ubi de ea pugna nuntiatum est, praetextam, cetera dignitatis insignia resumsit senatus, quum post Caesaris victoriam, togam tantum induisset sagis positis populus [3]).

Conversum casum, Firmum liberatum, Asculum vice obsessum esse, audiens Judacilius, non tulit laborantis patriae sortem, sed maxima diligentia octo cohortes Asculum abigit, per nuntios praemissos suis praecipit civibus uti cum eminus apparerent exspectatae catervae, eruptio simul ab oppidanis fieret: „neque enim suas cohortes, neque cives suos, nisi ab his illis succurreretur, adversus communem hostem satis validos fore." — Quod ubi Asculi acceptum est, coepere vi a tali consilio plebem deterrere

---

[1]) Hanc feliciorem pugnam describit praeter App. Liv. Ep. 74.

[2]) Jure Kiene, ad *hoc* tempus referens locum Velleji (II. 21), fidem ei negat narranti 75000 ibi Romanos cum 60000 Italicis conflixisse. Certo neque Italico neque Romano *praetori* totius exercitus major credebatur pars. Ad aliud tempus refertur illa a Mommsenio Judacilii invasio; de tota re postea videbimus.

[3]) Oros. V. 18.

Judacilii inimici, sperantes fore, ut impetum in hostes faciens, aut repulsam ille ferret, aut ab iis occideretur. Petunt Romana castra octo illae cohortes: ex Asculo eruptio non facta est. Id animadvertens Judacilius, gravi commotus ira, omnibus in unum collectis copiis ordines hostium vi perfregit, multis amissis, in urbem penetravit. — Ibi vero, etsi iurgiis petiverit adversarios, aut parum aut nihil effecisse videtur [1].

Incerta admodum sunt, quae de pugna ab Appiano (c. 48) relata innotuere. Caesar, consul anni 91 (proconsul enim dicitur ab Appiano post magistratum exactum creatus esse, alter vero Caesar post magistratum censor evasit) conflixit cum 20000 hostium, quorum 8000 interfecit, multo plurium armis potitus est. Cum Picentibus id proelium esse commissum, suspicatur Kiene et revera probabiliter ita accidit, quia post victoriam Asculum abit Caesar. Asculum deinde delatus, anno fortasse sequenti, in ipsa obsidione morbo absumtus est, G. Baebium successorem sibi dixit.

Si comparentur hoc anno Romanorum cum sociorum successus non miramur Umbris etiam, Etruscis et aliis quibusdam gentibus [2]) auctos esse animos et induxisse et horum nonnullos [3]) in mentem deficere a Romanis et aequaliter cum foederatis poscere civitatem.

---

[1]) Haec multo brevius ab Appiano narrantur (B. C. I. 48), cetera suppeditat Oros. V. 18.

[2]) Galli certe Cispadani, Ligures.

[3]) Nonnullos tantum Umbros et Etruscos defecisse probat lex Julia, quae inter Etruscos publici iuris facta, plurimos cives fecit. Si defecissent Umbri et Etrusci omnes, e lege Julia horum nemo civis evadere potuisset.

Itaque cum Italicis de ea re egerunt; revera defecerunt, (ipsissimis verbis rem indicat Livius), copias scripserunt et modo, quo antea socii ceteri, suos coeperunt hostibus purgare agros [1]).

Brevi talem sese attulit in molem et illa seditio, ut plurimo tantum sanguine impenso, difficillimo labore L. Porcius Cato praetor Etruscos, A. Plotius Umbros devicerit [2]).

Refertur nobis ea defectio [3]) brevissimis verbis et perlegentes illa tantum, quae de ea scripta antiqui reliquerunt, non facile nobis veniet in mentem, maximi illam fuisse momenti, immo unicam fuisse causam, cur a pristina pervicacitate destiterint Romani eamque sponte obtulerint civitatem legibus Julia et Plotia Papiria, quam omnimodis frustra hucusque assequi tentarant socii. Quam rem quia probare posse mihi videor, ob oculos ponere conabor, quanta mala Urbi impendissent e seditione Umbrorum Tuscorumque, nisi citissime huic malo obviam

---

[1]) Ocriculum, municipium prope fines Sabinorum, Faesulasque, prope Clusium urbem, esse hac occasione ab Etruscis dirutas contendit Kiene. Nil huic sententiae obstat, quia vaga est admodum apud Florum illarum urbium dirutionis descriptio. — Facilius autem de Ocriculo eam crediderim rem, quam de Fesulis, quam urbem nec coloniam nec municipium fuisse invenio. Potest etiam Ocriculum initio belli propter Sabinorum finium propinquitatem esse a sociis petita et capta. — Verum praestare mihi videtur de urbibus illis, quae apud Florum longa serie recitantur, non agere, quia de illarum plerisque (de Grumento enim et Nuceria alibi etiam legimus) indicia plane desunt talia, qualibus unice ad certam quandam notitiam earum fati pervenire possemus.

[2]) Liv. Ep. 74. Oros. V. 18. Flor. III. 18.

[3]) Liv. l. l.

itum esset, dein allaturus, quid ipsae leges laudatae constituerint.

Satis superque probaverat primus belli annus, esse foederatos belli consilio Romanis pares, bello ipso superiores. Complures easque ex parte magnas reportaverant victorias socii; interdum tantum Urbs modico gavisa erat successu; multae ad foederatos urbes transierant, nullum oppidum a Romanis expugnatum hucusque memoravi. Effecerat ea belli fortuna, ut requirerentur et omnium civium milites et auxilia omnia ut hostibus *resisteretur*, *mitteretur* vero in praesenti *de petendo hoste* et de *victoriis reportandis* cogitatio. Nam et Lucius Caesar, cujus copiae victae erant saepius quam vicerant, per totum annum novis corroboratae militibus, Papium ab Acherris pellere non valebant [1]) et C. Marius vallis sese continens, quasi minorum virium conscius, hostes petere non audebat [2]).

Deerant insuper cives e quibus novi scriberentur exercitus: auxiliorum fides non omni semper dubio major: aerarii opes vehementer imminutae: reditus bona ex parte sustulerat Campaniae obsessio. Vel minimum igitur aut hostium incrementum aut Urbis detrimentum ad Romanorum perniciem valere poterat. — Quae cum esset Romae condicio, optime jam intelligimus, cur cujusque moverit defectionis nuncius animos: quantopere vero perterruerit Romanos Tuscorum Umbrorumque seditio sic demum intelligemus, quum bene perspectum habebimus, quanti fuerit harum regionum possessio momenti.

---

[1]) App. B. C. I. 45.

[2]) Cf. diss. p. 10.

Ea tunc erat temporis Etruriae Umbriaeque agrorum amplitudo ut, si conjuncti fuissent cum sociorum, qui hucusque defecerant, territoriis, quinque partium duas ferme effecissent. Jure itaque ex his, si defecissent exspectari poterant quinquaginta millia militum. — Romae essent eadem seditione copiae imminutae; nam, etsi certe talem numerum (50000) laudatae regiones Romano exercitui auxiliorum non praestiterint, aliquas saltem copias missas esse satis probabile est. — Pugnam 100000 Romanorum cum sociis totidem sustinere non potuerant: qua spe dehinc bellum resumeretur, si cuique foret Romanorum manui adversariorum numerus ferme duplicatus?

Sed erant alia, eaque aeque fortasse gravia.

Unus Tiberis fluvius dividebat a Roma Etruriam. Nulla a parte tam facile poterant ipsam Urbem hostes adoriri et certe non plane e memoria evanuerat, quam praesens aliquando exitium Urbi a Porsena impendisset.

Dividebatur praeterea Roma a Gallia finibus Tuscorum. Vidimus jam, quantus numerus militum Gallorum inter copias inveniretur Caesaris, fortassis etiam in aliorum ducum exercitibus. — Etruriae seditio his aut magno impedimento fuisset aut omnino eos prohibuisset quominus in Latium pervenirent, his opibus etiam Urbem orbasset.

E septentrionalibus tractibus adhuc exercitus sociorum Urbi non imminuerant. Si et ab ea parte Urbem hostis petivisset undique cincta Roma fuisset, omnibus viribus ad unam Urbem defendendam eguisset, mittere debuisset adhuc fidarum urbium defensionem, ne ipsa sensim paullatimque arctius cincta tandem obsideretur. Belli non fuisset dubius exitus.

Cum itaque exercitu ad Acherras relicto, Romam exeunte anno rediisset consul superstes, incredibilem in modum metu invenit mentes erga socios mutatas et sine ullo periculo legem tulit et pertulit de sociorum civitate, quae Fulvio Flacco, Graccho juniori, Druso nuperrime, exitio fuerat.

Illa lex, Julia vulgo, de civitate sociorum dicta e tenuissimis nobis innotuit indiciis [1]).

Constituebat uti, qui adhuc non defecerant, socii civitatem apisci possent. — Omitti poterat, quod addit Cicero „civitatem non haberent ii populi, qui fundi ei legi facti non essent" [2]). Nemini enim umquam invito obtruditur beneficium. Nusquam diserte traduntur populi, qui e lege Julia in civitatem pervenerunt. Pro certo uti videtur constituere possumus, omnes primae Latinitatis [3]) relliquias et alteram Latinitatem omnem exceptis iis coloniis, quae ad hostes transierant, socias civitates, quae fidae manserant, ferme omnes, laete accepisse civitatem, exemplum Heracleae et Neapolis esse a perpaucis urbibus imitatum. Iis in civitatibus scribit Cicero magna contentio fuit, cum magna pars foederis sui libertatem civitati anteferret [4]).

---

[1]) Fontes hujus legis sunt Cic. pro Balbo, 8. Aulus Gell. N. A. IV. 4. Appianus, B. C. I. 49.

[2]) Garatonius ad Ciceronem pro Balbo 8.

[3]) Gellius. IV. 4. Quid hic significet prima et altera Latinitas antea a me est expositum.

[4]) Antea jam monuimus perpaucas e foederatis civitatibus cum Romanis fecisse, easque propter foederis aequitatem ab Urbe deficere noluisse.

Diserte nobis tradit Appianus [2]), cum Etruscis (certissime autem cum Umbris etiam et reliquis populis Cispadanis) hanc legem esse communicatam et laete illos accepisse civitatem oblatam. — Ad horum praecipue civitatem adspirasse Romanos ex iis, quae de Tuscis et Umbris dicta sunt, apparet et verbis Appiani probari videtur. Non enim adjicit, inter alios etiam populos esse eandem legem divulgatam, quod significat, ni fallor, aliorum populorum ad civitatem transitum non tanti esse Romae factum.

Restabant vero et in Etruria et alibi civitates, quae adversus Romanos arma ceperant, quarum incolae aut omnes aut partim tantum civitatem cupiebant, sed e lege Julia eam assequi non poterant, quia iis tantum permittebatur, qui fidem Urbis Romae non laeserant; restabant civitates, quales erant Heraclea, Neapolis, quarum incolae nonnulli civitatem sibi desiderabant, quam accipere patria nolebat, quibus lex Julia non proderat, urbibus tantum (uti videtur) non personis civitatem concedens. His prospexit alia lex [2]), quae Plotia Papiria a tribunis plebis M. Plautio Silvano, C. Papirio Carbone dicta est, duorum mensium spatium concedens omnibus, qui tunc, quum illa lex ferretur, domicilium in Italia habuissent,

---

Tales certe fuere civitates Heraclea et Neapolis. Qui cives civitatis ejusmodi lege Julia non adipisci poterant civitatem, quia urbs eam rem spernebat, privati, lege Papiria Plotia, nomina apud praetorem profitebantur.

[1]) Appian. B. C. I. 49.

[2]) Innotuit nobis ea lex ex oratione Cic. pro Archia c. 4 et Schol. Bob. ad eum locum, Orell. pag. 323 cf. Onom. Tullian. III. pag. 243.

intra quod nomen apud praetorem Metellum, aut Appium, aut Gabinium[1]) possent profiteri et cives fieri Romani.

Populis eodem tempore Transpadanis[2]) concessum est coloniarum Latinarum jus e lege Pompeji Strabonis. — Praeterea constitutum est uti novi cives in 8 tribubus suffragarentur[3]).

---

[1]) Cic. pro Archia 5.

[2]) Asc. in Pis. (pag. 3 Orell).

[3]) De illo suffragio et de modo, quo postea ejusdem sit auctum jus, dissensionem esse apud viros doctos video. In meis Mommsenium secutus, quid alii contendant hic afferam. Mommsenius, duorum locorum (Vell. II. 20, Appian. B. C. I. 49) de suffragio sociorum alterum rejiciens, medius est inter Langium et Kienium discrepantes illos locos retinere cupit L. Lange, Röm. Alterth. I. p. 384, sic scribens „Primum videntur esse in decem novas relati tribus socii." Dein in antiquas 8 esse conjectos eosdem contendit, „ne nimio novorum civium numero, pristinorum premerentur suffragia" donec vanum esse timorem Romani animadverterint, a Sulpicio sint socii per omnes tribus distributi et antiquata hujus tribuni lege, eosdem novâ lege eodem quo Sulpicius suffragio donaverit Cinna.

Audacissima est Kienii sententia. Contendit enim legitimo suffragio per sex annos, postquam adepti sunt civitatem, socios caruisse; itaque datam illis esse civitatem sine suffragio; quae sententia, si teneamus Madvigii praeceptum „poenam esse talem civitatem, non remunerationem" certe rejicienda est; *laete* enim *accipiunt* socii civitatem: si civitas oblata iis esset, qualem indicat Kienius, certissime eam rejecissent. — Suffragium, quale iis e Velleji loco tribuit Kiene antea honoris causa potest esse nonnullis concessum Latinis, qui forte Romam venerant; socii tali re, quae praeter honorem ne minimos quidem fructus praestare poterat, se decipi post tam diuturnam experientiam non facile sivissent.

Tribus per quas dividebantur non nominatim afferuntur. Unam Sergiam fuisse Sabinis, Marsis, Pelignis decretam e Cicerone in Vatin. c. 15 constat. Cf. Schol. Bob. in Or. in Vat. Orell. pag. 323.

CAPUT V.

BELLI ANNUS ALTER.

Perquam opportune latae erant leges Julia et Plautia Papiria. Quanti enim facerent et socii Etruriae et adjacentium regionum societatem et quam lubenter maximopere omnes adstrinxerint vires, harum ut assequerentur amicitiam, iam statim ostenderet anni 665 initium. Quum enim percrebuisset inter maris Adriatici accolas [1]) et Tuscorum et Umbrorum esse animos ad defectionem factos propensiores, statuerunt socii esse maxima diligentia copias comparandas, quae quam citissime in Etruriam profectae Tuscis, qui defecerant auxilio essent, dubitantes adhuc civitates ad defectionem incitarent. Quae res etsi

[1]) Omnes res gestae huius anni continentur libr. I. c. 50—55. Appiani. B. C.

summae certe fuerit difficultatis, quia tot iam erant in bello adversus Romanos et Marsi et Picentes occupati, numerosae iuventutis iactura vires debilitaverat, propere ab illis Italis satis idoneus militum numerus inventus est [1]). Nam quum adhuc Tuscorum, qui quamvis breviter, tamen ante anni 664 finem erant civitate donati mutatam esse mentem non innotuisset, primi itaque anni 665 agerentur dies, dum nives hiemales impervia redderent itinera, 15000 militum longa via in Etruriam abducti sunt. Magnam illi viae perfecerant partem, pervenerant fortasse ad Etruriae fines, quum Pompejus Strabo, consul haec inter factus, parte exercitus ad Asculi oppugnationem relicta iis fieret obvius et commissa pugna eos profligaret. Admodum fuit devictorum sors tristis. Non solum enim sunt in ipsa pugna a Pompejo consule interfecti horum quinque millia, sed reliquorum [2]) etiam magna pars patriam non revisit. Quum enim per impervias regiones domum regredi cogerentur, et insuper hieme admodum gravarentur, glandibus et eiusmodi alimentis vitam non nisi aegerrime sustentarent, quinque millia sunt fame, frigore, lassitudine absumti.

Satius erit obiter monuisse rediisse Pompejum ad Asculum et ibi urbis continuasse obsessionem, verno tempore expeditiones adversus socios renovaturum, proelia cum iis cum collega Catone iteraturum. — Cum Pompejo enim sucesserat L. Caesari, (qui censor cum P. Licinio Crasso

---

[1]) Totam expeditionem narrat Appian., breviter indicat Livius, Ep. 74, brevius adhuc Eutr. V. 3.

[2]) Numero 10000.

futurus Romam redierat), L. Porcius Cato [1]), vir magnae severitatis, probatae virtutis [2]). Quia huic consuli maior, quam praetor habuerat, debebatur exercitus, datae illi sunt copiae Marii [3]), quem, factorum immemores Romanos, infirmitatis praetextu a bello removisse, cum Mommsenio puto [4]), etsi testari videatur Plutarchus [5]) propter corporis imbecillitatem sponte eum misisse praeturam.

Hisce copiis Cato instructus Marsos petiit et quam-

---

[1]) Dicitur in fastis consularibus Pompejus, Cn. Pompejus. Sex. f. Cn. n. Strabo: Cato vero L. Porcins, M. fil. M. n. Cato. Cf. Fischer Röm. Zeittafeln, sub anno 665.

[2]) Verbi causa anno priore inter Etruscos. Cf. Liv. Ep. 75. Oros. V. 18.

[3]) Oros. V. 18.

[4]) Eam rem probare fortasse poterit Dionis Cassii locus (ed. Beckeri fr, 100). Ibi describitur exercitus Catonis seditio excitata a Titio quodam. Nullam reperio occasionem ad quam eam referre possum, nisi qnum revocatus est C. Marius eiusque est exercitus Catoni traditus. — Certissime tunc priorem ducem amissum milites Mariani aegerrime tulerunt novumque ducem propterea odio habuerunt. Saepius Marii jacturam deplorasse exercitum, laudasse ducis amissi virtutes bellicas, et aut ira permotum aut uti militibus animum redderet gloriatum esse Catonem „C. Marium non majora fecisse" perlecto Oros. V. 18 certum esse mihi videtur. Verba praeterea Dionis ἀστικὸν καὶ ἀφηλικέστερον τὸ πλεῖον τοῦ στρατοῦ ἔχων optime in exercitum Marii quadrare videntur. Nam veteranos Marium, celeberrimum ducem esse potissimum secutos luce clarius est; urbanam vero plebem Mario duce esse gavisam et milites eos a Mario esse lubenter scriptos (quod ab eo genere celebratus auctusque erat) docebit Sallustius B. J. c. 86. Nullo dubio ea quae attuli a militibus Marii non facta essent, si sponte imperium ille deposuisset. Ceterum dubia esse, quae de iis sentio, non negabo. Lubebat tamen quae et quamobrem verisimilia mihi visa sunt non praeterire silentio.

[5]) Plut. vit. Marii. c. 33.

quam seditioso uteretur initio exercitu, ita ut Titius [1]) quidam seditionis auctor sit ab eo comprehensus et Romam missus, (ubi tamen a tribunis liberatus est), aliquoties Marsos fudit [2]), ad lacum usque Fucinum penetravit [3]), ibi cum vi expugnare castra hostium tentaret, occidit [4]). Interfectum esse consulem a Marii filio traditum est, qui gloriosis Catonis verbis honorem esse patris laesum credens non ferendam sibi talem esse iniuriam decrevit et commissa pugna, ut ab incerto auctore videretur crimen commissum, in consulem irruit eumque interfecit [5]). Ea res victoriam Marsis dedit [6]). Copias devictas esse ex parte Pompejo datas, partim Syllae missas, quem magno exercitu in meridie expeditiones suos auspicatum esse satis certum videtur, affirmare ausim.

Res itaque in septentrionalibus Italiae seditiosae tractibus ad consulem rediere superstitem, quas ille maxima diligentia, facultate summa ad felicem perduxit exitum, omnes sensim populos subiecit, quamvis immensae esset ea res difficultatis. Nam bellicosae illae et ex parte invictae gentes, iugum Romanum aegerrime tolerabant, quum semel libertatem gustassent: saepius iterum deficiebant, iterumque subigendae erant; immo tum etiam,

---

[1]) Historiam illam inveni apud Dionem Cassium (apud Val. p. 641),

[2]) Liv. Ep. 75.

[3]) Oros. V. 18.

[4]) Liv. Ep. 75. Cf. de illa caede praeter laudatos scriptores Eutr. V. 3. Vell. II. 16.

[5]) Oros. V. 18.

[6]) Liv. Ep. 75.

quum essent omnes sub jugum coactae Romanum, tam parum fidei tribui hisce poterat, ut semper in iis requireretur exercitus et consulatu exacto, Straboni proconsuli sit imperium prorogatum, sit eidem provincia eadem decreta.

Sic Vestinos ille subjugavit [1]) consul, procônsul [2]) vero eosdem iterum domuit.

Sic Marrucinos a Pompejo [3]) subactos iugum non diu tolerasse, defecisse et eodem hoc anno iterum esse a legato Pompeji Sulpicio victos et in deditionem acceptos credo.

Duas tantum hoc anno Pompeji res gestas describendas mihi esse video: bellum nempe cum Marsis continuatum, et Asculi post diuturnam obsessionem expugnationem.

Resumsit post Catonis mortem intermissum cum Marsis bellum consul Pompejus et adversus fortissimum eorum ducem Vettium Catonem cum exercitu profectus est. Vix autem in conspectu Marsorum venerat, quum ecce legati Catonis Pompejum adirent congressum petituri [4]); quo permisso inter bina castra convenerunt Pompejus cum fratre, Roma quam celerrime arcessito et Vettius Cato. Satis benigne ab utraque parte actum est; nihilominus de pace non convenit. Pompejus

[1]) Liv. Ep. 75.

[2]) Liv. Ep. 76.

[3]) Ita efficio ex App. B. C. I. 52 et e Liv. Ep. 76.

[4]) Id colloquium esse a Catone petitum probat mihi locus Ciceronis (Philipp. XII. 11). Ibi narratur, ad id colloquium habendum Roma venisse Sex. Pompejum; is autem tunc non esset arcessitus, (quod factum esse ex verbis Ciceronis efficio), sed cum exercitu ivisset, si colloquium *offerre* in animo habuisset Pompejus.

ad Asculum denuo profectus, bello cum Marsis gerendo reliquit L. Murenam, Caecilium Metellum Pium, qui quum aliquot proeliis hostes rejecissent, pacem rogare eos coegerunt [1]). Videtur iis ea pax esse concessa dummodo Vettium Catonem Romanis dederent. Haud dubie desperata admodum Marsorum condicio evaserat: fortem enim, ob et id ipsum nullo dubio gratissimum ducem tradiderunt. Ille autem cum Romam abduceretur a servo suo gladio transfixus, sic ignominiosa captivitate exemtus est. Narrat eam rem Seneca [2]).

Asculum post Judacilii introitum reliquimus [3]). Vix unam in historia totius belli invenies urbem, quae tam pertinaciter sese defenderit tamque pervicaces invenerit obsessores. Iam enim plus quam annua evaserat huius oppidi obsessio et tamen neque urbem lacessere intermiserant Romani, in dies propter obstinatam defensionem cre-

---

[1]) Liv. Ep. 76. Composui haecce, ut facta esse videbantur. Quaecumque enim de bello cum Marsis hoc anno allata a scriptoribus sunt antiquis, tantopere sunt et vaga et indefinita, ut certus iis ordo assignari nequeat. Sic. v. c. colloquium, quod refert Cicero, potest esse habitum, quum devicti aliquot proeliis Marsi petivissent pacem. Sed aliquantulum me confirmat in mea sententia Livius dicens a Metello et Murena devictos Marsos fuisse. Quamobrem enim esset cum Pompejo colloquium, post Marsos devictos et a legatis receptos, cum Pompejo habitum?

[2]) Cf. Seneca de Ben. III. 23 et qui rebus quibusdam tantum mutatis eadem ferme retulit Macrobius Saturn. I. 11, 23.

[3]) Totam hanc oppugnationem describam, uti facta mihi videtur et eam defendere me posse puto. Mihi videntur fontes nostri initia tantum et extrema oppugnationis tempora tradidisse. Fontes huius rei hic illic afferam.

scente ira, neque urbis traditionem in animum induxerint oppidani, quasi omne genus vitae tolerabilius putarent illa poena, quam propterea sibi a Romanis impendere putabant, quod defectionis initium ipsi fecerant. Quum vero in dies magis premerentur Asculani, fame fortasse et inopia gravarentur, sero eos poenituit, se spreto Judacilii consilio oblatam salutis occasionem neglexisse et idcirco in tales sese calamitates implicasse. Diu et multum eam rem animo volventes, dum quotidie acerbius in *eos* inveheretur Judacilius, qui antea evasioni Asculanensium, urbis liberationi obstiterant, mutarunt, ut par erat, mentem, Judacilii in dies crevit auctoritas, coepere eo duce conari oppidani, an adhuc eadem iis pateret salutis via. Sunt legati ad Marsos dimissi, dies cum illis constituta est, qua Pompejum peterent, ab altera vero parte Judacilius urbem relinqueret et a tergo hostes adoriretur. Statuta die irruunt in Romanos Marsi, ab altera parte prorumpunt Asculanenses, non vero imparatum offenderunt Pompejum. Ille enim seu ab exploratoribus aut transfugis rem comperisset, seu sua facultate praesensisset, cladem prudentia antevertit. Contractis quam plurimis posset copiis eo die opposuit 60000 Italicis 75 Romani militis millia [1]). Profligati Marsi, 18000 cum imperatore suo Franco amittunt: 3000 captivi fiunt: 4000 a Pompejanis fugati montem conscenderunt et in eo miserrimam invenere mortem. Namque ita ut attoniti timore hostium steterant, alii stirpibus vel saxis reclines, alii armis suis

---

[1]) Vell. II. 21.

innitentes, patentibus cunctis oculis, dentibusque nudatis viventium in modum visebantur, nec ullum erat procul intuentibus mortis indicium nisi diuturna immobilitas [1]).

Eodem die est et populus Asculanensis in campum prorumpens gravissima clade oppressus [2]). Recessit itaque cum copiarum relliquiis Judacilius, ipse paullo post nobili modo interiit. Omnibus enim ad coenam vocatis amicis Asculique principibus post magnificas epulas largaque pocula, hausto veneno absumtus est, cunctos ad exemplum suum frustra provocans [3]).

---

1) Narrat haecce Oros. V. 18.

2) Oros. ibid.

3) Video totam esse hanc Orosii V. 18 narrationem ab aliis spretam, a Mommsenio ex Appiani et Orosii narratione unam factam. Cf. Mommsen II. 232. Sed obstare huius sententiae nonnulla puto.

Judacilius *Picentum* dicitur dux cum 4000 circiter Asculum petivisse. Hic vero Francus *Marsorum* traditur fuisse imperator eiusque exercitus (e quo 25000 amisit) certe fuit 50000 militum. Ipsis verbis nobis tradit Appianus populum Asculanensem *non* prorupisse, quum accederet Judacilius; Orosius vero *prorumpentem* esse populum profligatum. Judacilii auxilii lationem eo ponit anno Mommsen, quo Pompejus consul maximis copiis Asculum circumdaret: diu itaque patriam obsessam esse passus esset antequam auxilio veniret, quod cum huius ducis indole, quatenus eam novimus, parum convenit. — Praeterea, si cum Mommsenio statuam, ponendum est, quod vix credibile videtur, 56000 fuisse intra Asculi moenia, qui arma ferebant et sperasse Judacilium fore, ut cum 4000 esset hisce salutem allaturus. Verisimilius videtur, 50000 Marsorum (vicinorumque populorum) milites opem tulisse Asculanis, hos cum iis, quos antea eo abduxerat Judacilius numerum effecisse 10000, et ita uno die (uti narrat Vellejus) 75000 Romanorum cum 60000 Italicis conflixisse.

Meae sententiae favere Orosium, dicentem separatim uno die et adversus Marsos et Picentes esse ad Asculum pugnatum, observare vix opus erit.

Absumto ita desperatione de patriae salute fortissimo Asculi defensore, oppressa magna ex parte eorum, qui arma ferre poterant multitudine, mox vi est a Pompejo urbs capta [1]). Sponte enim eam transisse e crudeli sorte Asculanensium vix credibile est.

De urbis incolis hunc fere in modum est a duce Romano judicium habitum.

Asculum [2]) ingressus praefectos, centuriones cunctosque principes virgis cecidit securique percussit, servos praedamque omnem sub hasta vendidit, reliquos liberos quidem sed nudos et egentes abire praecepit. Verissimiliter et ii venditi sunt, qui e Marsorum exercitu captivi facti erant; loco enim Ciceronis [3]) memoratur iuvenis Larinas (Frentanus) apud Asculum captus, et Sergii senatoris servus factus.

Nihil tamen ex ea praeda egenti aerario Strabo contulit [4]).

Romam redux de Picentibus triumphavit [5]) Pompejus

---

[1]) Expugnationis Asculi fontes Oros. V. 18.

[2]) Judicium affert Orosius V. 18.

[3]) Cic. pro Cluentio c. 7.

[4]) Ceterum, praeterquam in Asculo, summa clementia videtur Pompejus et Picentes et vicinos populos habuisse. Hoc probat pro primo dialogus ille, cui interfuit Cicero: praeterea amicitia, qua deinde sunt Picentes Pompeji filium prosecuti: tandem facilis Marsorum plerorumque eius regionis populorum ad Romanos transitus. Cf. tamen Florus III. 18. Fortasse devictis populis promittebat Pompejus, quod postea Sulpicius tulit, uti per 35 tribus illi distribuerentur. Cff. de his Plut. Pomp. c. 5. 6. Cic. fr. Corn. apud Asc. p. 79.

[5]) Ascon. ad Pison. Orell. p. 14.

ante diem sextum Kalendas Januarias [1]), Ventidium Bassum, adhuc tunc infantem, idem, qui dein de Parthis triumphavit, ad sinum matris exornasse eum triumphum traditum est [2]).

Mentionem proelii, quod feliciter commissum esse a Sulpicio cum Popedio Obsidioque apud fluvium Theanum, Orosius refert, video esse a Mommsenio ita emendatam, ut effecerit ex eo loco, Marrucinos apud Teate a Sulpicio esse profligatos. De Orosii loci falsitate Mommsenio assentior. Diu enim post occisus est longe alio in loco Popedius; de cujus interitu et morte postea scribam.

Finito maxima ex parte cum Marsis finitimisque populis bello (nam alios receptos a Pompejo, alios orasse pacem tradidi; paucos admodum brevi post arma posuisse, aut defectionem iterum molitos iterum a Pompejo proconsule esse subactos, audiemus), videamus, qua fortuna usae sint inter Samnites, Hirpinos, Apulos, horum vicinos legiones Romanae.

Hic prae ceteris eminet legatus Sylla, tantam gloriam e rebus gestis inter cives adeptus, quantum brevi post odium in se crudelitate excitavit. Ille enim, postquam Latina Campanaque littora a Cumis inde ad Urbem ipsam firmata sunt cohortibus e libertinis scriptis duodecim, quas et insignissimae virtutis fuisse e Macrobio [3]) comperio et ideo per ea littora dispositas esse

---

[1]) Fasti Capitolini.

[2]) Ita lego apud Val. Max. VI. 9. 9. Plin. VII. 44. Gell. XV. 6.

[3]) Saturn. I. 11, 32.

credo, ne expeditio, qualem a Mario Egnatio primo belli anno esse susceptam scripsi, iteraretur: classis vero cum legato A. Postumio Albino [1]) missa est, ut in ea Campaniae parte, quae ad hostes transierat, oppida maritima terra possent marique obsideri, — mox ostendit bello se esse cunctis, quum hostibus, tum Romanis etiam superiorem et revera ad finem ille perduxisset in hac Italiae parte tumultum, nisi bella externa et propter haecce discordiae etiam civiles totius Italiae obsequium annos aliquot tardassent. Campaniam primam ingressus Stabias oppugnavit, pridie Kalendas Majas cepit [2]). Reliquisse videtur Didium legatum ad urbem obsidendam Herculaneum. Hanc esse ab illo legato receptam, in ipsa vero obsessione periisse Didium, scribit Mommsenius, efficiens ea, ni fallor, ex Ovidio et Vellejo [3]). Ipse interea Sylla Pompejos adiit [4]) inque montium urbi imminentium radicibus castra posuit. Classem haec inter eodem abduxerat Posthumius: quem quum interfecissent [5]) milites propter intolerabilem superbiam perinvisum exercitui factum [6]), quum specie, uti statuendum videtur, proditionis illum

---

[1]) Praetorius dicitur a Plut. Syll. 6, consularis ab Orosio V. 18.

[2]) Plin. H. N. III. 9.

[3]) Loci illi sunt Ovid. Fastor. VI. 568. Vell. II. 16. Relictum esse Didium ad illam urbem oppugnandam, haec efficiunt uti credam. Roma veniens Sylla Stabias 30 die Aprilis jam ceperat, (Plin. H. N. III. 2), quum adhuc Herculaneum Didium moraretur, pridie tandem Idus Junias captum (cf. Ov. Fast. l.l.) Praeteriens itaque Herculaneum verisimiliter reliquit Didium, ipse ad alias se vertens urbes Sylla.

[4]) Pompejos Syllam petivisse probat et Oros V. 18.

[5]) Liv. Ep. 75.

[6]) Oros. V. 18.

criminati essent[1]), nulla poena milites Sylla affecit, ea magnanimitate ad virtutem vehementissime incendit[2]), ad acerrimam virium in proeliis intentionem permovit, uti mox apparebit.

Brevi enim Syllam petiit Cluentius[3]), Pelignus dux, et quasi exercitum contemneret Romanum, castra spatio passuum paulo amplius 400 relicto apposuit Syllanis. Talem contemptum aegre ferens Sylla, statim parva manu proelium cum hoste commisit et victus est. Congressus enim, dum desiderarentur adhuc illae cohortes, quas frumentandi causa dimiserat, impetum hostium sustinere non valuit et in castra se recepit. Sed mox omnibus propere militibus collectis, ita vehementer iterum cum Cluentio concurrit, uti castris suis cedere ille coactus, longiore ex intervallo Nolam versus consederit[4]), fortissimis munitionibus castra sua stabiliverit[5]).

Ibi sese continuit, Gallicis firmavit exercitum auxiliis, tandem omnibus reparatis bellum renovare properavit. Quod quum Syllae nuntiatum est, summa diligentia Nolam contendit et simulac in conspectum hostium pervenerat, convocatis legionibus sacra facere jussit, felicissimisque auspiciis a Posthùmio haruspice renuntiatis[6]) statim

---

[1]) Proditionem illi objicit Liv. Ep. 75.

[2]) Oros. V. 18. Plut. Sylla c. 6.

[3]) Ita eum vocant App. Eutr. V. 3. Juventium eum dicit Oros V. 18.

[4]) Ita factum puto, quia dein prope Nolam profligatur.

[5]) Fortissima Cluentio castra tribuuntur a Val. Max. I. VI. 4.

[6]) Felicissima Syllae sacra, uti complures ejusdem momenti res, apud scriptt. magna cura annotatae, describuntur accurate a Val. Max. I. 6. 4. Cic. de Div. I. 33 hunc fere in modum. Vix sacra facere coeperat Sylla

in aciem militem produxit. Et jamjam erant proelium commissurae legiones Romanae, quum ecce Gallus insigni statura, ante ordines Cluentii progressus, Romanorum fortissimum quemque, ad monomachiam provocaret; quem quum interfecisset statura humili Numida, Galli omnes fugam capessunt; fractis eo facto ordinibus, nec reliquus diu stetit exercitus, sed nullo ordine Nolam confugit. In ipsa fuga 30000 hominum cadunt, fortissima hostium a Sylla capiuntur castra [1]), reliquorum quia una tantum porta fugientes excipiebant Nolani, sub ipsa urbis moenia 20000 caeduntur. Ipse dux Cluentius post pugnam desideratus est; corona civica a militibus donatus est Sylla imperator [2]).

Affuerat et Didio Herculaneum expugnanti et Syllae Pompejos obsidenti Minatius Magius [3]), Hirpinorum secum habens legionem.

Hoc comite Hirpinos etiam invasit Sylla et fido assecla eo usus Compsam adiit, obsessit et expugnavit. Hinc quum Aeclanum [4]) sese contulisset postulassetque ut sibi urbs traderetur, Syllae resistere non ausi, dolo Romanos

---

ante praetorium, quum ab ima parte arae anguis prolapsa est, qua visa continuo exercitum uti educeret (Sylla) *oravit* Posthumius.

[1]) Val. Max. I. VI. 4. Bina castra Samnitium a Sylla expugnata scribit Liv. Ep. 75. Certe ea vult castra, quae prope Pompejos primum, ad Nolam deinde posuerit Cluentius. Paullisper diversa ab Orosio afferuntur V. 18.

[2]) Hujus rei memoriam servavit pictura in Syllae villa. Plin. H. N. XXII. 12. Unum tantum e Syllanis periisse scribit Eutr. V. 3.

[3]) Vell. Paterc. II. 16.

[4]) Urbes eo ordine enumero quia situs me monet geographicus.

decipiendos Aeculani statuerunt. Quum enim eo ipso die exspectarent Lucanorum auxilia, proposuerunt ut sibi tempus ad deliberandum concederetur, sperantes fore, ut copiae exspectatae propere ab omni se liberarent metu. Sed sensit se decipi Sylla; legatis itaque Aeclanensibus unam concessit horam, quo temporis ipse usus est spatio, uti fascibus trabibus confirmata et conjuncta urbis moenia circumdaret.

Hora elapsa, qnum adhuc Aeclanorum desideraretur responsum, nulla mora omnia incendit. Qua re perterriti oppidani urbem dediderunt. Aeclanum a militibus direptum est; non enim sponte sese dederat. Sperabat Sylla, fore ut aliae urbes, hisce auditis sponte portas Romanis aperirent. Qua in re non fefellit Romanorum ducem exspectatio. Quum enim animadvertissent Hirpini urbibus parci, quae ultro Romanis obtemperarant, ad unam omnes legatos ad Syllam miserunt, de pace cum eo egerunt et in deditionem acceptae sunt [1]).

Interea Sylla Cosconium reliquerat et Luccejum legatos, bellum cum Samnitibus ad finem perducturos. Hi multis pugnis hostes vicerant, fortissimum ducem Marium Egnatium interfecerant, plurima oppida receperant [2]). Omni virium igitur intentione Samnites vix a legatis illis se defendere poterant, quum ecce nuntiaretur Syllam insuper Hirpinis domitis Samnium petere. — Nulla mora Papio Mutilo mandatum est, uti quam maxima posset diligentia

---

[1]) Cf. praeter App. Liv. Ep. 75. Vict. d. V, I. 75.

[2]) Liv. Ep. 75. Diod. XXXVII. fr. 2.

saltus occuparet, quos transeundos Romanis esse sciret. Verum longis ambagibus, saltus ille circumivit et ab ea parte, unde haud exspectarent se advententantem Samnites, Papium necopinato adortus est. Caesorum Samnitium haud modicum numerum Sylla interfecit, castra expugnat, ipsum ducem vulneratum, paucissimis comitibus Aeserniam petere coegit.

Quum in Samnium [1]) Sylla redux bellum ipse ibi denuo suscepisset verisimiliter Cosconium in Apuliam dimisit. Ipse Bovianum post Papii cladem adortus, sociorum ut dicit Appianus *κοινοβούλιον*, hunc in modum ea urbe potitus est. Boviani incolae, quum ad eam tantum munitionis partem animum advertissent, ad quam Sylla castra posuerat, copias quasdam ille dimisit, quae e tribus collibus, in quibus aedificata urbis erat arx unam occuparent. Hae vero quum fumo arcis capturam Syllae significassent, undique petiti oppidani per tres horas fortissime restiterunt, tandem victi sunt.

Hujus urbis expugnationem aliarum urbium et civitatum deditio secuta est.

Exstincto fere bello, uno Luccejo relicto, cui Capuam deducere in hiberna legiones praecepit, Romam abiit Sylla, consulatum [2]), imminentis belli Mithridatici provinciam petiturus.

Cosconius, in Apuliam uti vidimus dimissus, flammis

---

[1]) Samnites Syllam domuisse afferunt et Liv. Ep. 75. Vict. d. V. I. c. 75. Flor. III. 18.

[2]) Liv. Ep. 75.

Salapiam absumsit, nobiles clade Romana Cannas subegit, Canusinos invadit. Quum ibi a Trebatio rejectus esset miles Romanus et ad Cannas pulsus, trajecto flumine Vergello tandem constitit Cosconius, et quamquam cum hoste confligere majoris esse periculi statueret, a transmissu facile se posse Trebatium prohibere vidit, ita moram Apulis inferre decrevit; diu eam Trebatius, qua novarum erat palmarum cupiditate, non tulit. Missos enim ad Cosconium esse ab illo duce legatos ex Appiano comperimus, qui Romanis proponerent „uti recederent, transeundi fluminis occasionem praeberent Apulis; nisi vero ita placeret, velle se ejusdem rei Romanis facere copiam, esse enim de summa rerum armis decernendum: inutili cunctatione non esse bellum trahendum." Ea res Romanis dedit victoriam. Nam optione data, quum a fluminis ripa recessissent Romani, Trebatium ad se venire jussissent, ille vero nulla mora Vergellum tramisisset, trajecto flumine, vix ordinatum invadit Cosconius exercitum, profligat, insequitur, in aquam plerosque rejicit. Quindecim hostium millia, aut armis caesi, aut fluctibus mersi, desiderata sunt.

Vice versa Apulorum relliquiae a Cannis Canusium recedere coacta sunt. Cosconius Larini, Venusiae, Asculi Apulorum agros populatus, sic Poediclos invasit, duobus diebus populum subegit.

Restat unice, uti de Gabinio videamus, cujus in Lucania nobis expeditiones memorantur.

Decertavit ille initio feliciter plurimasque urbes cepit [1]), inter quas Grumentum a Kienio (cui plane as-

---

[1]) Liv. Ep. 76.

sentior) esse nominatam video. Steterat a Romanis illud oppidum anno belli primo et itaque aut sponte aut a sociis expugnata, ad hostes denuo transierat [1]). Livius et Orosius in oppugnatione hostilium castrorum cecidisse Gabinium tradunt [2]).

Livium secutus, qui anni 665 historiae subjungit belli relliquiarum anno 666 descriptionem, quia scilicet minoris hac sunt momenti, quam ut historiam interrumpat, deinque suo loco intermissam telam resumat, statim venio ad ea, quae dehinc esse a sociis perpetrata scriptum invenio.

Romae etsi vires essent et lege Julia et Plotia Papiria et successu Strabonis et Syllae incredibilem in modum auctae, nihilominus graviter inopia Urbs premebatur.

Evanuerat ex aerario immensa illa auri copia; egens, plane exhaustum tunc temporis dicitur. Unus Orosius nobis tradit quomodo ei inopiae obviam ire Romani conati sunt [3]). Haec enim sunt eius verba. Loca publica in circuitu Capitolii pontificibus, auguribus, decemviris et flaminibus in possessionem tradita, cogente inopia vendita

---

[1]) Refertur huius urbis expugnatio a Seneca de Benef. III. 23 et Macr. I. XI. 23. Descripsi e Seneca illa verba, e quibus efficiunt, obsidio ab illo enarrata uti a Romanis sit oppidanis affecta. „Eductam (dominam servi) deinde extra muros, summa cura celasse (Claudius Quadrigarius retulit) donec hostilis ira consideret. Deinde, *ut satiatus miles ad Romanos mores rediit*, illos quoque ad suos rediisse, et dominam sibi ipsis dedisse.

[2]) Liv. Ep. 76, Oros. V. 18.

[3]) Oros. V. 18.

sunt et sufficiens pecuniae modus (9000 pondo auri) qui ad tempus inopiae subsidio esset acceptus est [1]).

Hac pecunia bellum resumsit Roma consulibus Q. Pompejo Rufo, L. Cornelio Sylla.

Pompejus, consul anni prioris, proconsul dictus in provinciam suam rediit, ibique ad Cinnana usque uti videtur tempora mansit. Proconsul ille Vestinos, qui iterum defecerant et Pelignos in deditionem accepit [2]). Eiusdem adversus socios expeditiones post laudatas nullae memorantur, etsi movisse hic illic defectionem civitates nuper subactas testari videtur non interrupta devictarum regionum ab eodem Pompeji obsessio.

Sociorum in tractibus septentrionalibus ad Romanos transitu coacti Samnites, Lucani quique supererant cum Roma nondum conciliati populi, communi consilio Corfinium [3]) relinquunt; (Marsi enim vicinique populi omnes societatem cum Romanis inierant), Samniticam urbem Aeserniam consilii publici caput fecerunt. Quinque sibi praetores praeoptaverunt, quibus propter diligentiam rerumque gestarum gloriam praeposuerunt Popedium Silonem. Ille enim ut sortem Vettii Catonis evitaret, profugus e patria in Samnium delatus erat.

Convocato omnium ducum consilio proposuit, quid e sua sententia fieri oporteret, idque quum ceteri probassent collegit copias ingenuorum tantas, uti cum pristinis mi-

---

[1]) Cf. Mommsen l.l. Inopiam fortasse lenirent instituta etiam censorum a Plinio laudata in Hist. Nat. libr. XIII. 5. et XIV. 16.

[2]) Liv. Ep. 76.

[3]) Diod. XXXVII. fr. 2 haecce et sequentia narrat.

litibus 30000 lustrarentur. Praeterea servis libertatem proponens virtutis praemium, talium militum 20 millium numerum tantum non explevit, equites comparavit 1000. Cum hisce copiis conflixit cum Mamerco Aemilio. Fugatorum Italicorum 6000 perierunt, Romani paucissimi ceciderunt.

Dejectos animos sociorum mediocriter recreavit oppidi Boviani a Popedio expugnatio, quam urbem ovans ille intravit [1]).

Illam jacturam quum brevi rependisset Metellus, Cosconii in Apuliam Japygiamque missus successor, Venusiam, magnam urbem, a multis defensam militibus expugnans et inde 3000 amplius captivorum abducens, Popedium dehinc ipsum agressus fugavit, exercitum delevit, ipsum interfecit, sic unica spe orbavit socios [2]).

Nam ceteris in regionibus continuae presserant socios calamitates. Isiam enim, Bruttiae urbem munitam, diu oppugnantes Marcus Aponius (C. Papius) et Tiberius Clepitius expugnare non valuerant; relicto vero exercitus parte ad hujus urbis obsidionem, ceteris Rhegium acerrime oppugnare instituerunt, sperantes fore, ut ea urbe potiti facile suas in Siciliam copias trajicerent, ditissimaque insula potirentur. Siciliae vero praetor Gajus Orbanus magna apparatus specie perterrens socios, Rheginos ab imminente periculo liberavit.

---

[1]) Julius Obsequens. c. 116.

[2]) Diod. Sic. XXXVII. fr. 2. De morte Popedii varia scribunt Vict. d. V. I. 63, Liv. Ep. 76. Oros. V. 18. Fidem Livio tribui, quia ejus verba cum dictis Diodori optime conjungi possunt.

Eo itaque imbecillitatis socii pervenerant [1]), ut pauci in urbe Nola adhuc sese defenderent: alii nonnulli in Lucania et Apulia vix resisterent [2]). Ad finem itaque brevi esset bellum perductum nisi et interna et externa bella languidam permisissent hujus tumultus reliquiis continuationem, ita ut paullatim refota spe, septem annis post, valido conatu, in majus quam antea umquam periculum adduxerint urbem Romam, qui nunc exstincti paene videbantur.

---

[1]) Videntur post Silonis mortem esse legati ad Mithridatem, Ponti regem missi qui auxilium adversus Romanos rogarent; hos a Mithridate parva spe esse dimissos traditum est; retulerint enim reduces eius verba „se quum Asiam totam subegisset, opem esse Italiae laturum." — Cf. Diod. XXXVII. fr. 2.

[2]) Cf. Diod. XXXVII. fr. 2. Duces citantur Lamponius et Clepitius.

CAPUT VI.

ROMAE AB ANNO 88—83 HISTORIA.

Restituta ubique ferme pace, nec conciliatis eo magis sociorum et subactorum et arma retinentium, novorum civium animis, quandoquidem etsi partim optata civitate potiti, omnes nihilominus ejusdem commodis revera immunes erant, resumtae sunt a factionibus Romanis lites, quas per annos tres fere quiescentes aegre tulerant. Novi cives et quae nondum bellare desierant foederatae civitates hisce sese seditionibus hic illic immiscuerunt, e turbis illis futurum sibi sperantes, quod bellica fortuna sibi constantissime negarat. Prodierunt aliquot annis post pleno civitatis jure praeditae. Sine dubio itaque est describentis Marsicum bellum, quod de civitatis acquisitione unice gestum est, enarrare quomodo ex imminuto capite plenum sint novi cives adepti. Quod cum et sensissem et sine accurata discordiarum urbanarum cognitione fieri non posset, collegeram

belli civilis quoad possem fontes omnes, in animo habens et de eo tumultu quam accuratissime agere. Sed in unum omnibus collectis permovere me rationes, quas scire lectorem nihil attinet, ut ad arctiores fines rem redigerem, res gestas ab anno 88—83 accurate quidem e fontibus sed festinanter simul enarrarem, uberius tunc tantum scriberem, quum de sociorum sorte aliquid innotuisset, ea plane mitterem, quibuscum iisdem nihil fuit negotii.

Quum esset Sylla, (qui uti vidimus anno 665 exeunte, quantis raro quisquam alius ante consulatum rebus gestis erat Romam ad consulatus [1]) petitionem profectus), in urbem delatus, magna contentione, Sulpicii, Antistii praecipue ope devicit G. Julium Caesarem, ejusdem ac ille belli cupidum, consulatus ideo (etsi omissa praetura) candidatum, omnibus fere in se collatis suffragiis, (Vell. II. 17) [2]); dein decreta sibi Asia provincia Nolam uti videtur redux, Italiam relinquere parabat exercitumque ob eam causam exornare coepit; fortasse jamjam erat in Asiam profecturus, quum ecce eae sibi nuntiarentur turbae Romae exortae, quas deinceps sum descripturus.

Sulpicius, vir acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore animi atque ingenii celeberrimus [3]), praeterea vero ita disertus, ut cum Cotta inter aequales facile primas tulerit, maxime omnium fuerit grandis et tragicus orator, a summo oratore Romano compluribus locis haud parcis

---

[1]) Liv. Ep. 75.

[2]) Loci e quibus contentio illa Caesaris nobis nota est sunt Diod. XXXVII. fr. 2, Cic. de Har. Resp. 20, Brut. 62, Ascon. pro Scauro Or. p. 24.

[3]) Cf. Vellejus II. 18.

laudibus efferatur [1]), leges promulgavit, perniciosissimas a Livio [2]) dictas, hasce.

1. Uti nemo senator plus quam 2000 H. S. deberet [3]).
2. Uti exsules revocarentur, quibus causam dicere non licuisset [4]).
3. Uti novi cives per omnes distribuerentur tribus [5]).
4. Uti eodem modo libertinis in omnibus tribubus concederetur suffragium [6]).

Facile Ciceroni concedimus esse has leges aequissimas, esse a bona causa Sulpicium profectum [7]), neque miramur esse a senatu et nobilitate acerrime iisdem obstitum, esse a plebe, a novis praecipue civibus summo gaudio eas

---

[1]) Civ. de Or. I. 29. III. 8. II. 21. Brut. 49. ibid. 55. de Harusp. resp. c. 55.

[2]) Liv. Ep. 77.

[3]) Plut. vit. Syllae c. 8.

[4]) Antea ipse ei rei intercedendo adversatus erat. Cf. Rhet. ad Herenn. II. 28. Cf. de illa lege Liv. Ep. 77.

[5]) App. I. 45. Liv. l. l.

[6]) Ascon. in Cornel. p. 64. Or.

[7]) Haud facile itaque credo scriptorum nonnullorum aequum esse judicium. Dicitur enim ἀνὴρ θρασύτατος a Plutarcho (in vita Marii c. 34), tam pravus ut quaerendum non sit, quibus fuerit deterior, sed qua in re ipse fuerit deterrimus, (in vita Syllae c. 8), vir cujus crudelitas, avaritia, audacia nullo malo, nulla turpitudine deterrebatur, (vita Syllae ibidem), civitatem vendens libertinis et Italicis palam in foro numerata pecunia, (vita Syllae ibidem), vir, qui Saturninum sibi proposuerat exemplum, tamen alia omnia ejus laudans praeter cunctationem et parum audaciae, (vita Mar. 35). Si revera ea fuit indoles Sulpicii, dein talis evasit exasperatus ab adversariis; initio talem se eum praebuisse haud facile propter alia testimonia crediderim. Qua in re confirmat me Vellejus dicens mutatam esse Sulpicii mentem (II. 18).

exceptas [1]), ita ut mox ea sit orta in civitate dissensio, ut 3000 cultris armatorum sibi semper aleret Sulpicius, 600 equestrium juvenum, ad omne quod vellet paratos, antisenatum vocatos [2]), semper ad manum haberet, violentia bona, quae sibi peragenda proposuerat, efficere conatus sit, sed immenso inde odio sibi conflato, tantopere adversarios exasperaverit, uti spreta pomoerii sanctitate Romani exercitus Urbem intraverint, sint in ipso foro arma conserta, castra excubiaeqne positae. Nam quum adesset comitiorum dies [3]), magna et antiquorum et novorum civium in comitium affluxit multitudo, suntque mox tantae ibi rixae ortae, ut et lignis et lapidibus se invicem factiones peterent, repulsam uti videtur Rufi sectatores tulerint, consules vero, timentes, ne iterato proelio lex sanciretur, justitium indixerint multorum dierum. Hujus finem non exspectavit Sulpicius, sed statuta die suis praecepit, uti gladiis veste tectis in forum se conferrent, neque ipsis consulibus, si res ita tulisset parcerent. Quum eo die ad Castoris et Pollucis aedem concionem haberent consules, „illegitimum esse justitium" subito exclamavit „statimque esse a consulibus tollendum: confestim enim esse de legibus suis suffragia roganda." Tumultu exorto, gladii destricti sunt; ea res Sulpicio victoriam dedit. Cecidit Pompeji consulis filius [4]), Syllae idem gener, (dum liberius concionaretur, uti Appianus refert). Consul Pom-

[1]) App. B. C. l. l.

[2]) Plut. Syll. c. 8

[3]) Uberrime has res enarrat Plut. in vita Syllae c. 8.

[4]) Cic. de Amic. 1, Plut. Syll. 8. Vell. II. 18. Liv. Ep. 77.

pejus clam aufugit. Sylla utrum Marii sponte petiverit domum et a generoso adversario ad exercitum dimissus sit, an gladiis circumdatus a magna sit multitudine eo abductus et ibi eo usque lacessitus, donec in forum abierit et justitium sustulerit, incertum est.

Quid sit, sublato justitio tute ad excercitum pervenit Sylla Nolamque [2]) revisit, inde post bellum sociale compositum in Asiam profecturus [3]). Nullo resistente sunt ad interim leges Sulpiciae perlatae veneruntque in suffragia novi cives. At simul apparuit quo consilio haec omnia machinatus Sulpicius erat.

Marius enim, existimans belli Mithridatici gloriam posse facile acquiri, immensas inde esse duci divitias cessuras, Sulpicium omnismodi promissis sibi devinxerat, incredibili (ut eam apellat Plutarchus) *δοξομανίᾳ* [4]) permotus, ut provecta aetate (70 annos paene natus erat) novas adhuc palmas cuperet [5]). Vix itaque Nolam Sylla abierat, quum a Sulpicio leges proponerentur aliae duae [6])

1ª. Ut Pompejo consulatus adimeretur.

2ª. Uti Syllae imperium in bello Mithridatico adimeretur, Mario daretur [1]).

---

[1]) Utramque narrationem refert Plutarch. vit. Syll. 9. Mar. 35. Utri ipse assentiatur non apparet; unice dicit alteram esse narrationem a Sylla in comm. de vita sua relatam. Prior illa narratio cum ingenio C. Marii parum quadrare videtur.

[2]) Nola pertinacissime arma adhuc retinebat. Vell. II. 18.

[3]) Cff. Diod. XXXVII. fr. 2. Eutrop. V. 4. Plut. Sylla 7. Oros. V. 19.

[4]) Cff. Plut. Syll. c. 7. Flor. III. 21.

[5]) Oros. V. 19.

[6]) Appianus B. C.

[7]) Vell. II. 18. Victor d. V. I. c. 67 et 75. — Flor. III. 21.

Quum ita inexspectato Marius, qui antea sua consilia celarat, populi oculis subjiceretur, dissensere de eo populares [1]). Alii enim ei favebant, alii spernebant, inter alia „Bajas ei esse adeundas corpusque esse reficiendum thermis in villa Misenensi" [2]) clamantes. Ille contra, illam sane falsam esse accusationem uti ostenderet, quotidie in Campo Martio corpus quamvis obesum arte gymnastica cum junioribus exercebat, probans se adhuc et armorum et equitandi et ceterarum belli artium patientem [3]). Quae res nonnullis fuit admirationi, quotidie Marii diligentiam spectantibus, aliorum vero misericordiam movit, qui neque divitiis neque gloria contentum, insatiabili famae siti excruciatum, novas semper quaerere victorias Marium non sine dolore videbant. Absurdus vero erat praetextus, quo belli provinciam sibi vindicabat Marius senex, „uti" nempe „filium se duce bello assuefaceret." Nullo negotio legibus perlatis dimissi sunt tribuni militum duo [4]), quorum alter Gabinius [5]) dicitur, qui Nolam delati exercitum Syllae reciperent, ad Marii usque adventum regerent. Hisce eo delatis Sylla ad concionem vocavit milites, duci suo, uti post tot victorias, deditissimos et enarrans, quae sibi Romae evenissent, quo modo vix Sulpicii fautorum effugisset arma, misericordiam movit; addens,

---

1) Haec et sequentia refert. Plut. in Mario c. 34.

2) Cf. de illa villa Plin. H. N. XVIII. 32.

3) Praeter Plutarchum refert haecce et Diod. Sic. XXXVII. fr. 39.

4) Plut. Mar. 35, Sylla 8.

5) Gratidius audit apud Val. Max. IX. VII. Mil. Rom. I. Post esse illum Gratidium interfectum Orosius contendit V. 19.

quid nuperrime Romae de se esset decretum, ademtum sibi esse imperium, Marium esse certo alios milites scripturum eosque secum in Asiam abducturum, ad furorem eos accendit, effecit ut tribuni lapidibus obruerentur [1]) legiones ipsae poscerent uti Romam abducerentur. Sylla videns eam rem, quam ipsissimis verbis indicare non ausus erat, esse ab ipsis militibus nulla dubitatione propositam, confestim suscepit cum sex legionibus iter [2]).

Legati, tribuni militum, centuriones patriam petere unanimo recusarunt, Romam abierunt: unus quaestor [3]) Syllanas copias secutus est.

Tribunorum caedem Romae Syllanae factionis caedes secutae sunt [4]), quas qui effugere poterant, Nolam se receperunt. Inter illos Pompejus quoque Rufus [5]), Roma iam profugus Syllam petivit, ei se comitem praebuit, ab illo benevole exceptus et consul denuo declaratus est. Vix Romam Syllae expeditio nuntiata est, quum et rei insolentia et ingens periculum ita vehementer et Marii et Sulpicii perterruere animos, ut quam citissime dimitte-

---

1) Cff. Plut. Sylla. 9, Mar. 35. Val. Max. IX. 7. Mil. Rom. I.

2) A Plutarcho 30000 equites et 5000 pedites affuisse in Syllano exercitu afferuntur. Certissime numeri permutati sunt. Sex legiones 30000 efficere *peditum* potuerunt, numquam 5000. Sed 5000 *equitum* a Sylla abducta esse verisimile est. — Plut. Mar. 35, Syll. 9.

3) Cf. Appian. B. C.

4) Plut. Syll. l.l.

5) Venere ad eum fortasse et Metellus et Catulus, quos cum illo fecisse e Plutarcho comperio. Cf. Ed. Reiskian. tom. IX. p. 217.

rent Brutum et Servilium [1]), qui causam rogarent, cur armatus Sylla patriam peteret.

His quum responsum esset „liberaturum Syllam esse a tyrannis patriam" essentque a militibus lapidibus paene obruti, togis fascibusque orbati, rediere Romam, multis praeterea affecti injuriis, magnum et inevitabile bellum patriae nuntiaturi. Aliis dein legatis iterum est idem responsum datum; unice a Sylla impetrari potuit, uti senatui proponeret descendere in Campum Martium, ejus judicio rem permitteret. Inintermisso haec inter Romam pergebat, haud modice in itinere divinis auguriis confirmabatur [2]). Pictas tandem, ad quintum decimum lapidem pervenerat, quum nomine senatus missi legati Syllam juberent, „ne ultra quintum ab Urbe lapidem procederet, antequam de rebus deliberasset senatus: esse illum ordinem omnia aeque constiturum." Sylla et Pompejus, quum optime id quod fieret animadverterent, obedientiam simulati, legatos suos castra metiri iusserunt, mox vero bona spe Romam redeuntes nuncios secuti sunt,

---

[1]) Romae historiae ab anno inde Urbis conditae 666 uberrimus fons est Plutarchus in vita Syllae et Marii; cum eo Appianus B. C. I. 56. sqq. Hos itaque scriptores quoquo in facto neque attuli nec dehinc citabo. — Si nullum afferatur scriptoris nomen, aut alicubi e citatis scriptoribus omnia enarrata derivari nequeant, e laudatis scriptoribus excerpsi. —

[2]) Narratur Postumius haruspex, de quo supra vidimus, manus protendisse, quum sacra renuntiarentur et rogavisse ut vinciretur, custodibusque cingeretur, ut quam citissime morte mulctaretur, si vel minima in re opinio Syllam fefellisset. — Immo unum antequam Romam veniret diem, fulmine a dea (Enyo, Luna, Athene) donatus sibi somnio visus fuerit Sylla interficere ad unum omnes adversarios. Cf. de iis Plut. Syll. 9.

Ac primos L. Basillum, C. Mummium legatos cum legione praemisit Sylla, qui portas Coelias murique prope Esquilinum montem partem occuparent. Hos omnibus paratis summa diligentia Sylla secutus, Collinae portae Pompejum cum una legione opposuit, tertia Sublicium petivit pontem, quartam pro muris reservavit [1]). Reliquis (duae restabant legiones) assumtis, Basillo Mummioque adiuvantibus Urbem intrare vix valuit: innumeris enim et sudibus et tegulis obruebatur miles Romanus, donec face alte sublata [2]) incendium Urbi esset Sylla minatus; quo facto defensores fugavit, cum suis ad forum esculentorum pervenit. Rejectis ibi Syllae copiis ab iis, quos celeriter armaverant Marius et Sulpicius, in medios sese conjecit hostes Sylla et ita renovato furore suos in hostes incitans, tirones ex exercitu ante Urbem ad se vocans, alios Suburana via tergo hostium immittens, adversarios fugavit. Frustra et cives promissis et servos ex ergastulis libertatis spe ad pugnam evocavit Marius [3]). Tres tantum templum Telluris, quo se Marius receperat, se contulere [4]). Irrupere tandem in Capitolium cohortes Syllanae, magna caede edita diffugere Marius et Sulpicius et cum iis ceteri [5]) principes. Milites a rapinis retinebantur; quicumque enim in his sibi indulsissent, omnium ante oculos a

---

[1]) Numerus ille legionum a P. Orosio etiam affertur. — Urbem intrasse Syllam praeter alios fontes narrant Liv. Ep. 77. Eutr. V. 4.

[2]) Cf. Flor. III. 21 Albinovanum etiam dicens ducem Marianum.

[3]) Oros. V. 19.

[4]) Plut. Mar. 35.

[5]) Oros. V. 19.

Sylla poena afficiebantur. Excubiis munitam Urbem noctem totam pervagati sunt consules, ne quid inexspectati accideret; primo mane sunt ab his comitia convocata.

Conquesti civitatis condicionem [1]) testati, se omne id quod factum erat fecisse invitos, civitatis formam plane mutarunt sequentibus legibus:

1. „Ne quid inculsulto (i. e. antequam senatus auctor factus esset), ad populum ferretur."
   (Quae aristocratici regiminis lex antea quidem viguerat, dudum autem democratica sub regiminis forma obsoleverat).
2. „Ut populus non secundum tribus, sed secundum classes et centurias suffrageretur, uti instituerat rex Tullius."
   (Exspectabant enim nullam umquam rem invitis patriciis ad populum sic venturam, nec umquam esse de rebus publicis suffragia laturam infimam plebem).
3. Deleretur tantum non omnis tribunicia potestas, quae tum tyrannica paene evaserat.
4. Senatus caedibus extenuatus patriciis 300 repleretur.
5. Quae Sulpicius, post justitium a consulibus indictum, pertulerat, irrita fierent.
6. Coloniae deducerentur.

Duodecim principes (de numero consentiunt Liv. Ep. 77. Vell. II. 19), hostes decreti sunt [2]), quorum nominantur

---

[1]) Nulla tamen supplicatio decreta est Cic. Phil. XIV. 1.

[2]) Senatus consulto id factum esse docet Schol. Bob. Orell. p. 19.

Marius pater et filius [1]), Sulpicius [2]), P. Cethegus, Junius Brutus, Cn. et Quintus Granius, P. Albinovanus, Marius Laetorius. Praemia (quod ex Liv. Ep. 77 apparere arbitror) iis decreta, qui reum aut indicassent aut tradidissent: Marii certe capiti imposuere magnum pecuniae praemium.

Sulpicium [3]) in paludibus Laurentinis latitantem suus prodidit equitibus Romanis servus. Caput tribuni in rostris expositum; servus manumissus, ob scelus proditi domini de Tarpejo saxo dejectus est. — Sulpicium sepultura prohibuerunt. Qui eum occiderat [4]) defendente consule absolutus est.

Marius [5]) fugiens in villam Soloniam nocte abiit. Misso inde ad Mucium socerum filio, qui victum quaereret, ipse Ostiam delatus, relicto filio, Numerii amici nave, Granium privignum secum ducens, juxta Italiam navigavit, Terracinam superavit, prope Circejos, adverso vento,

---

[1]) Hos duo affert etiam Liv. l.l. De iis tamen cf. Val. Max. VII. VIII. 5 dicens „Marius quominus hostis judicaretur opposuit sese Q. Mucius Scaevola."

[2]) Sulpicium inter eos affert Vell. II. 19.

[3]) De Sulpicii sorte monet inter alios Liv. Ep. 77. Eutr. V. 4. Vell. II. 19. Val. Max. VI. V. 7. Oros. V. 19. Rhet. ad Herenn. IV. 22, I. 15. Plut. Syll. 10.

[4]) Tribunus plebis fuerat eratque igitur sacrosanctus.

[5]) De sorte Mariorum (patris et filii) referunt Liv. Ep. 77. Eutr. V. 4. Plut. Mar. 35 sqq. (testis in his copiosissimus) Syll. 10. Vell. II. 10. Val. Max. I. V. 5. Victor de V. I. 67. Aug. d. Civ. Dei. II. c. 23. Oros. V. 19. Cic. pro Sextio 22, pro Plancio c. 10. Schol. Bob. Orell. p. 249 et 257 Cic. de Finib. B. et M. II. 32.

navem relinquere coactus est. Huc illuc fame vexatus vagans, metu dimissorum a Sylla equitum, nocte in sylva cum comitibus latitans, primo mane ad littus rediit, equites in se irruentes vix effugit, a duabus navibus mercatoriis exceptus est, 2000 fere a Minturnis passibus; altera nave Granius Aenariam venit, alterius nautae vero Marii tarditate retenti, salutem orantem exsulem equitibus tradere noluerunt, eumdem vero brevi post, quum metu exagitarentur, dolo in littus exposuerunt. A sene ibi in palude naribus tenus celatus, non effugit Minturnensium oculos et inde retractus in eorum urbem abductus est. In carcerem, in domum Fanniae ut ait Plutarchus, conjectum senem a magistratibus dimissus Gallus vel Germanus gladio petivit, quem ita perterruit pristini victoris et vox et oculorum fulgor, ut abjecto gladio aufugerit. Rati id divinitus Mario contigisse sententia mutata rogantem Marium ad mare iidem dimiserunt, viatico et veste data, quo cum, post aliquas in transeundo Maricae luco difficultates, pervenisset, navicula Belaei cujusdam, votis, ominibus, lacrymis omnibus eum persequentibus, Aenariam abiit, assumtis amicis in Africam pervenit, quo brevi ante filius mirabili quoque modo servatus, delatus erat. Relinquemus in Africa Marium ejusque resumemus historiam tum, quum in Italiam redux bellum cum Sylla ibi resumserit.

Romae Sylla etsi imperium retinere potuisset, sponte deposuit, exercitu Capuam praemisso, consul denuo regnavit. Populus quanto haberet Syllam odio non diu celavit: honoribus enim sunt ornati Syllae invisi homines, spretis Nonio Consobrino et Servejo, quibus impense favebat.

Magis vero idem apparuit in consulibus creandis. Consules enim declarati sunt Octavius [1]), vir Syllae quidem deditus, sed haud ita insigni ingenio, probitatis insignissimae sed ad res civiles gerendas plane non idoneus, fidissimus Sylla assecla sed non timendus simul ejus inimicis adversarius, et Helvius Cinna [2]), Syllanae factionis adversarius. Cinnae creationi quamobrem sese non opposuerit Sylla, probe perspexisse videtur Diodorus dicens: ille aliqua iam erat in civitate Romana auctoritate; qua si abusus esset, plus detrimenti sibi prospicere poterat Sylla, quam si aliquantulum devinctum beneficio sibi, jurejurando insuper obstrinxisset. — Id jusjurandum revera a Cinna esse praestitnm a Plutarcho traditum invenio.

Vix autem erant et consules anni prioris [3]) in provinciam et exercitum profecti, magistratum inierant Cinna et Octavius, qnum omnis erga Syllam furor erupit. Viri feminaeque, qui pulsis favebant, Syllaeque et Rufo, quum adhuc Romae degerent, non pepercerant, nunc, quum

---

[1]) Incredibilem ejus credulitatem ipsa nos docebit historia. Cf. de illius indole Dio Cass. ap. Val. p. 642, Plut. Sert. 4.

[2]) De ejus indole cff. Vell. II. 24. Philipp. II. 1. V. 7. II. 42. De Nat. Deor. III. 32. — De consulibus illis cf. et Dio Cass. apud Val. p. 641.

[3]) Q. Pompejo Rufo misericordia motus (ut dicit Val. Max.) populus decrevit provinciam et exercitum Strabonis, qui aut auctor fuit Rufi caedis, brevi postquam Roma venisset, (prima sacra faceret), aut saltem commissam caedem militibus non serio objecit et vel sic probavit, se quam maxime ea re delectari. Nnlla quaestio hac in re decreta a senatu est. Cf. Val. Max IX. VII. Mil. Rom. 2. Liv. Ep. 77. Vell. II. 20.

abiisset Sylla rebus studebant novis, neque operae neque pecuniae parcebant. Ipse Cinna, antequam Italiam reliquisset Sylla, accusatorem huic dedit Verginium tribunum plebis. — His omnibus, et inulta morte collegae Sylla perterritus quam citissime in Asiam proficisci decrevit, noctu amicos secum semper habuit, donec Italiam reliquisset.

Majores adhuc turbae, postquam in Asiam transvectus erat Sylla exortae sunt. Novi cives, qui semper attentis animis occasionem exspectabant irrumpendi in suffragium, a Sulpicio donati pleno suffragii jure, per brevissimum tempus eo gavisi, a Sylla erant in antiquam condicionem rejecti; omnes enim erant Sulpiciae leges antiquatae. — Nullius erat itaque res negotii hos nova spe excitare et revera, quum prima spes iis ab exsulum amicis, quos in dicavi, arrisisset, Cinna dein intelligens, quid ex iis auxilii sperari posset, eorum causam suscepisset, neque pecuniae [1]) neque cuiquam alii rei pepercere sed magna in ipsam Urbem multitudine a Cinna accersiti, legem primum de suffragio suo [2]) vi perferre pararunt, dein Cinnae perlaturi legem de revocandis exsulibus [3]), quidlibet praeterea ab iis peteret.

Statuta die armata gladiis celatis Cinnana multitudo forum occupavit, alta voce poscentes, uti per omnes tribus dividerentur. Sed et melior civium pars ar-

---

[1]) Sic verbi causa 300 esse a novis civibus Cinnae data talenta, quum suffragium iis promississet traditum est.

[2]) Cf. Vell. II. 20.

[3]) Cf. Victor d. V. I. c. 69. Flor. III. 21.

mata in forum processerat, dum Octavius domi sese continens, quid fieret, ibi exspectaret. Vix autem audivit, tribunos plebis comitia *veto* suo diremisse, esse a novis civibus gladios strictos, tribunos in rostris imminens periculum vix effugisse, maximam esse inter factiones contentionem, quum densissima stipatus multitudine sacra via in forum descendit, novorum civium maximam multitudinem interfecit, ipsum Cinnam, templo Dioscurorum per breve tempus defensum, dein urbem pervagantem et frustra ad libertatem servos evocantem urbe pepulit. Exstructi sunt in-foro sanguine redundanti acervi cadaverum [1]), decem millia novorum civium cecidisse sic apparuit.

Pulsus consul, sex comitatus tribunis plebis [2]), Nolam sese contulit, *ὁδοῦ πάρεργον* nuper civitate donatas urbes Tibur, Praeneste ceteras circumiens, ex iis opes colligens, incolas ad bellum incitans. In dies crescente comitatu, (confugerunt ad eum et senatores, quorum nominantur C. Milonius, Q. Sertorius) [1]), Nolanum ad excercitum delatus, qui ibi Appio Claudio duce erat a Sylla relictus partim promissis et pecunia, partem adulationi, ad suas partes hujus magistratus traduxit [2]), quod ubi legatis, uti videtur, perfecerat, tandem ipse consularibus insignibus, in medium exercitum progressus, fasces demisit, lacrymans sic verba fecit.

---

[1]) Cic. in Catil. III. 10, pro Sestio c. 36.

[2]) Liv. Ep. 79.

[3]) Cum Cinna hunc fugisse narrat Plut. Sert. 4.

[4]) Vell. II. 20.

„Vos o cives hisce me insignibus ornastis; populi enim suffragiis consul creatus sum; spreta auctoritate vestra iisdem me privavit senatus [1]). Nihilominus vero non tantopere me movent calamitates meae, quam aegre fero vos eum in modum despici. Quis dehinc tribules suffragia flagitabit? Nemo enim vobis sibi opus esse censebit. Nulla vobis est auctoritas, nisi vestra sint inviolabilia dona, nisi ipsi unice beneficiorum retrahendorum retineatis potestatem."

Ita locutus vestem scidit et suggestu desiliens humi jacuit, donec a militibus misericordia motis erigeretur, in sellam curulem restitueretur, fascibus erectis consul denuo declararetur, jubentibus omnibus „quo cumque vellet abduceret se."

Jurejurando dein quum omnes se Cinnae obstrinxissent [2]), circumiens urbes socias copiis inde sumtis ad triginta legiones [3]) explesset, opibus a novis civibus et foederatis, a principibus ex ipsa Urbe et corruptis Romanis copiis permultis [4]) auctus esset, recta via Romam petivit.

Ad interim Marius, a Cinna accersitus cum exsulibus [5]), ex Africa rediens Etruriam allabitur, e 500 comitum mi-

---

[1]) Privatus enim honore a senatu collegae opera erat; cff. Victor. d. V. I. c. 69. Liv. Ep. 79. Vell. II. 20.

[2]) Vell. II. 20.

[3]) Vell. l. l.

[4]) Plut. Sert. 4.

[5]) Liv. Ep. 79. Plut. Sert. 5. Vell. II. 20. Vict. d. V. I. 67. Oros. V. 19.

nistris, equitibus Numidicis, liberatis servis [1]) exercitum fecit, quem auxit Marius, sordidus, coma obsitus, omnes urbes adiens, sua facinora extollens, misericordiam movens, suffragia promittens, ita ut mox sexies mille se milites sequerentur, quadraginta naves ille complere potuerit. Proconsularia sibi a Cinna missa insignia recipere noluit, sed quo erat habitu totam peragravit Italiam, donec Romam pervenisset, ubi cum Cinna sese conjunxit. Cinna [2]) Carboque, qui eo jam ante pervenerant, exercitu maxima ex parte e novis civibus et sociis constante urbem obsederant, dum supra illam castra posuisset Sertorius. A tractibus maritimis dehinc Marius, ponte Tiberi injecto victu urbem privavit, maritimas urbes classe cepit.

Collegam ad interim Octavius sumserat pontificem Merulam, (erat enim Cinna, quum Urbe pelleretur, magistratu privatus), cum eo muros refecerat, fossas duxerat, machinis moenia muniverat. Auxilia e Gallia Cisalpina accessivit, servos libertate allicere noluit, Cn. Pompejum Strabonem ad se vocavit, quem ad mare Adriaticum reliquimus. Hic ad Urbem quidem accessit, sed admodum dubia erga Octavium fide [3]); primum enim auxilium suum Cinnae et Mario obtulit, dein, quum ab iis spretus esset, Octavio socium se praebuit [4]), juxta portas Collinas castra posuit.

---

[1]) Victor l. l. Flor. III. 21.

[2]) Illam exercitus divisionem affert Oros. V. 19. Flor. III. 21. Liv. Ep. 79. In tres partes copias divisas fuisse Plutarchus contendit, (vita Sert. 5.)

[3]) Cf. Vell. II. 21. Liv. Ep. 79.

[4]) Oros. V. 19.

Arimini vero a Cinna occupatio e Gallia exspectata auxilia Urbem quin adirent prohibuit, (fortasse hac occasione est et Placentia, Caelio ab Octavio mandata, a Cinna capta. Val. Max. IV. VII. 5), Cn. Pompeji exercitus parum fidum erat auxilium. Nam praeterquam ambigua esset ducis mens, milites, a Cinna allecti, quam primum possent transfugere decreverant; Strabonem itaque interficere conati, vix ab ejus filio castris cohiberi potuerant, partim revera armis tentoriisque sumtis ad Cinnam transierant [1]). Nulla itaque ab hisce partibus auxilii spe relicta, quum hostium incrementa [2]) in dies magis magisque consules terrerent, Metellum, cum Samnitibus adhuc belligerantem jusserunt, composito si posset bello patriae laboranti subvenire [3]). At Samnites, quum de pacis legibus ageretur, non sibi tantum sed transfugis Romanis etiam civitatem petebant, praeda reportata poscebant sibi ut concederetur, captivos e Samnitibus et transfugas omnes uti traderent Romani, rogarunt.

Metellus his condicionibus pacem inire non potuit. (Videntur autem alii Italici eodem tempore in civitatem esse recepti) [4]). Nihilominus statim Romam abiit et Plautium [5]) legatum cum parva manu reliquit. Sed Octavii

---

[1]) Cf. Plut. Pomp. c. 3.

[2]) Sic est Ostia a Mario capta, ubi omnia genera libidinis et avaritiae exercuit, incolas plerosque interfecit. Liv. Ep. 79. Oros. V. 19. Plut. Mar. 42. Flor. III. 21.

[3]) Cf. Dio Cass. U, p. 385.

[4]) Cf. Liv. Ep. 80.

[5]) Brevi post ille profligatus est. Cf. Liv. Ep. 80.

militum ad hostes transfugium effecit, uti et Metelli copiis Urbis vires haudquaquam augerentur.

Cum Samnitibus est a Mario foedus initum iisque omnia ille promisit, quae concedere non ausus erat Metellus.

Quum ita in dies desperatior evaderet Romae condicio, intra moenia etiam proditio grassata, majoribus adhuc circumdedit Octavium periculis. Vix enim multisque amissis [1]) Marium, Appii Claudii [2]), Janiculi custodis, proditione Urbem intrantem, reppulerunt oppidani copiaeque Strabonis [3]).

Fulmine brevi post ictus Pompejus [4]); 6000 Octavii, 10000 Pompeji militum pestilentia absumti, Antium Ariciaque, frumenti Romanorum horrea, subito impetu a Mario expugnata et deleta, dum incolae diriperentur et proditoribus tantum exceptis occiderentur. Lanuvium aliaeque urbes [5]) proditione partim, partim vi, in potestatem Marii venerunt. Quibus omnibus permotus est senatus, quum et Metellus a Cinna profligatus ad Syllam confugisset [6]), servi a Cinna ad

---

[1]) Mitto narratiunculam de duobus fratribus, qui cum se invicem non agnoscerent hostiliter conflixerunt, ita ut alter a fratre percussus interierit, alter semet ipsum occiderit. Liv. Ep. 79. Oros. V. 19. Tac. H. III. 51.

[2]) Alius hic Appius Claudius esse videtur ac ille qui a Livio Ep. 79 citatur.

[3]) Cf. Vell. II. 21; 600 ab utraque parte amissos, Sertorium Pompeji fuisse adversarium dicit Oros. V. 19. — Cf. Liv. Ep. 80. et Diod. XXXVIII v. XXXVIIII, fr. 2.

[4]) Decessum Pompeji, pestem illam narrant Vell. l.l. I. Obseq. 116. Oros. V. 19, Plut. Pomp. I.

[5]) Cf. Liv. Ep. 80, Oros. V. 19.

[6]) Dio Cass. apud Vales. p. 653.

libertatem vocati magno numero Urbem reliquissent [1]), quamvis invito Octavio, legatos de pace ad Cinnam mittere [2]).

Ille, quum sponte abdicasset se a magistratu Merula [3]), mnltique ad eum liberi quoque fame pressi transfugissent, promisissetque se sponte esse nullam facturum caedem Urbem intravit.

Truci vultu ad portam constitit Marius, poscens ut, antequam ipse Urbem ingrederetur, lex de exsilio suo tolleretur [4]); dein suffragia non exspectans forum petivit, clausis portis adversarios omnes interficere, bonis spoliare coepit.

Prima victima cecidit Octavius [5]), Chaldaico diagrammati nimium confisus, ita ut ad extremum usque Urbem relinquere negaverit, bonum futurum esse exitum sperans. Interfecere hunc in Janiculo Censorini equites caputque abscissum ante rostra posuerunt [6]).

Omitto proximorum quinque dierum noctiumque totidem non intermissas caedes et rapinas [7]), quibus nullus

---

[1]) Cf. Victor d. V. I. 69.

[2]) Diod. Sic. XXXVIII vel XXXVIIII, fr. I.

[3]) Diod. ibid. fr. 3.

[4]) Cf. Vell. II. 21.

[5]) De ejus morte Victor l. l.

[6]) Cf. de ejus morte et Val. Max. I. VI. 10.

[7]) Illas caedes referunt Liv. Ep. 80, Diod. Sic. XXXVIII vel XXXVIIII. fr. 4, Eutr. V. 7, Vell. II. 22, Sall. Hist. 1. 19, Oros. V. 19, 20, Flor. III. 21, Augustinus de Civ. Dei III. 27, Dio. Cass. apud Val. p. 641, 642 et 649, Cic. Phil. I. 14, Tusc. Quaest. V. 19, de Orat. III. 3, Brut. 19, Pro Sestio 21, Asc. pro Scauro pag. 24. Or, Schol. Bob.

deorum pudor, aut ultionis metus, aut invidiae timor facta restringebat. Interiere C. Julius et L. Julius Caesar, Atilius Serranus, P. Lentulus, C. Numetorius, M. Baebius, Crassus pater et filius, Orator M. Antonius, Lupus, Marii cognatus, Cotta, Q. Ancharius, senatus decus, lumina civitatis. — S. Lucilius, prioris anni tribunus, a saxo Tarpejo a Laenate dejectus est. Per plures dies cadaverum acervi, a canibus et avibus lacerati, horrore Urbem repleverunt; Syllae sunt leges sublatae, domus rasa, liberi et uxor quaesiti sed non inventi.

Primi, qui aliqua saltem juris specie cecidere, fuere flamen Dialis Merula et Lutatius Catulus. His enim accusatores dati sunt, ad diem usque judicii a custodibus sunt observati quumque frustra vitam suam a Mario cum amicis flagitasset Catulus, uterque voluntaria morte absumti est.

Merula enim, deposito flaminis insigni, pileo, venas sibi incidit, Catulus in conclavi calce et arena perpolito, carbonum ardentium fumo suffocatus est.

Uno verbo de Bardiaeorum sorte monebo. Hi servi majore ex parte manumissi, ducum lecti custodes, quum omnismodi saevitiae, libidini, rapinis sibi indulgerent saepiusque adhortati nihilominus immoderatius in dies saevirent, a Cinna aut inermes in forum convocati, aut noctu in castris dormientes petiti, armatis circumdati, ad unum omnes caesi sunt. Illorum numerum 8000 fuisse apud Orosium invenio [1]).

---

p. 299 et 355, Val. Max. VI. IX. 13. V. III. 3. IX. 11. 2. VIII. IX. 2. IX. XII. 4 et 5, Plut. Crass. 4. Anton. 1. Sertor. V.

[1]) De illa caede scripsit et Oros. V. 19.

Citra ulla comitia consules se renuntiarunt in annum 668 C. Marius 7um, C. Helvius Cinna iterum [1]. Non diu autem septimo consulatu, a deo promisso quum adhuc puer esset, cujus spem desperatissimis rebus (ad Minturnas) semper servaverat, fruitus est C. Marius. Nam veluti ipsi sentiret, nunc tandem ad summum fastigium sibi ventum esse, dehinc sibi bonam non esse futuram fortunam, animum vita turbulenta et curis exhaustum despondit, terribilibus somniis, in dies auctis curis frustra novas caedes [2], nocturnas compotationes immoderatas medicinam adhibuit. Eum in modum tandem de rebus suis desperavit Marius, ut de voluntaria morte cogitasse videatur; dein morbo (inflammato pectore, ut ait Posidonius) per 7 continuos dies cubile non reliquit, in amentiam interdum incidit, 17 [3]) diebus postquam consul creatus fuerat obiit. Sepelivere [4]) Marium ad Anienem fluvium; relliquias eius postea inde extrahi et dissipari jussit Sylla [5]. Cinna vero, quum primum sibi Valerium Flaccum creasset [6]) collegam, qui in Asiam missus periit, anno 669 ipse consul tertium collegam sibi adscivit Car-

---

1) Cf. Liv. Ep. 80.

2) E senatorio praecipue ordine: Flor. III. 21. Sic eo die quo consulatum iniit, occidit S. Licinium senatorem, Plut. Mar. 45. Liv. Ep. 80.

3) Idibus eum obiisse Liv. dicit Ep. 80, Intra calendas et Idus Florus III. 18; 17 novi consulatus dies illi a Plutarcho tribuuntur in vita Mar. 45. Minus accurate dies definitur a Vell. II. 23. Vict. d. V. I. 67.

4) Cf. de sepultura Marii Cic. pro Roscio c. 12.

5) Cic. de Leg. II. 22.

6) Cf. Vell. II. 23.

bonem (malum civem, improbum consulem, seditiosum hominem, aptissimum turbulentis concionibus [1]).

Quum in dies majores Syllae successus nuntiarentur, nec bello composito quid ille facturus esset dubium esse posset, Cinna Carboque tota Italia per emisarios colligebant opes, copias, frumentum: urbes novorum civium inprimis sollicitabant, propter quas ita se periclitari ajebant. Naves, quae sibi erant, exornarunt omnes, quae in Sicilia morabantur retraxerunt, oram maritimam custodiis cingebant.

Mox Syllae ad senatum pervenere litterae, quibus factis gloriabatur, nulla vero re magis, quam a Cinna expulsorum exceptione. Propere se venturum dicebat et ab inimicis suis, qui talibus pro meritis hostem se judicarant, domum raserant, uxorem liberosque interfecissent, si copia iis facta esset, liberaturum sese Urbem promittebat. Ceterum novos neque antiquos cives se ulla simultate prosequi. Hae quum anni fine essent acceptae et in senatu recitatae, subito timore omnes permoti, suadente Valerio Flacco, senatus principe iisque qui concordiae studebant, legati Syllae missi sunt [2]). Cinnae praeceptum ne exercitum colligeret donec ille respondisset: quod quum promisissent Cinna et Carbo, legati ad Syllam profecti; at statim post in biennium consules se Cinna et collega renuntiarunt [3]), ne citius propter comitia consularia Romam reverti cogerentur.

---

[1]) Cic. Verrin, I. 14, Brut. 62.

[2]) Cf. Liv. Ep. 83.

[3]) Liv. ibidem.

Italiam pervagati anno 670 exercitum undique collegerunt, quem invitum in Liburniam transvehere navibus coeperunt, inde in Graeciam trajecturi, Syllam petituri. Prima pars quum feliciter mare transiisset, altera est a tempestate vexata et sicubi terram attigisset majore ex parte in patriam remigravit.

Quod ubi audivere reliqui in Liburniam transire noluere, iratum Cinnam ad concionem eos vocantem, orta lictoris morte turba, interfecerunt [1]). Occiso collega eos, qui in Liburniam transvecti erant revocavit Carbo; in Urbem redire a tribunis coactus consularia comitia ad suffectum creandum habere debuit. Sed bis auguriis quominus ad finem ea perduceret impeditus [2]), solus regnavit [3]). Irrita facta in Graeciam expeditione, nihilominus exercitum adversus Syllam parare perrexit Carbo viresque omnimodo augere decrevit. Quum itaque vellet ab omnibus Italiae oppidis coloniisque obsides exigere, communi consensu senatus prohibitus est [4]). Novis tamen uti civibus suffragia concederentur perlatum est [5]); senatus consultum praeterea factum: uti omnes ubique exercitus

---

[1]) Aliam habet Cinnae mortis causam Plut. Pomp. 5 et qui ad litteram eum descripsit Joannes Zonaras X. 1. Scribunt de ejus morte Livius etiam Ep. 83, Vell. II. 24. Vict. d. V. I. 69 (quarto consulatu occisus est).

[2]) Prior quae iis constituta est comitiis dies, dies fuit non comitialis. Lunae Cererisque aedis incendium repetita comitia diremit, quapropter distulere post solstitium aestivum comitia augures.

[3]) Liv. Ep. 83, Vell. II. 24.

[4]) Cf. Liv. Ep. 84.

[5]) Liv. Ep. 84. Addi fortasse potest Rhet. ad Herenn III. 2.

dimitterentur. Libertini per 35 tribus divisi sunt [1].

Ad interim legatis Romam dimissis, uti cum Cinna et Carbone Syllam conciliarent, responderat dux „se numquam futurum esse horum virorum amicum, verum etiam, si ita senatui placeret, eorum saluti se non esse obstiturum; se fore in potestate senatus dummodo cives a Cinna ejecti restituerentur [2]; exercitum vero se non esse dimissurum: hoc enim sibi esse et ad urbem et exsules, qui ad se confugerant defendendos, opus."

Dimissos legatos alii a Sylla ad senatum directi comitabantur; qui vero Brundusium delati ibique Cinnam interfectum esse animadvertentes, ad ducem suum rebus infectis rediere.

De exsulibus quae poposcerat Sylla etsi senatui justa visa sunt, tamen per Carbonem ejusque factionem, cui bellum videbatur utilius, effectum est, ne conveniret [3]. Syllae vero ea res nuntiata est.

Id tantum exspectarat Sylla, uti anni 671 initio eum 5 legionibus Romanis, peregrinis nonnullis [4]) Patras e Piraeo se conferret, ibi jurejurando obstringeret milites, ne se desererent, nulloque nisi jussi malo Italiam afficerent et probata alia etiam in re horum fide, transire inciperet, navibus uti traditum est 1600.

Benevolenter se excipientes Brundusinos tributorum im-

---

[1]) Liv. l. l.

[2]) Cf. Liv. Ep, 84.

[3]) Cf. Liv. Ep. 84.

[4]) 40000 militum eum abduxisse ferunt. A Vellejo numerus 30000 affertur (II : 24). Ille fortasse peregrinos non adnumeravit.

munitate remuneratus est, castra movit, parvo suo exercitu periclitaturus adversus 450 (500 a Floro nominantur, sed 200 tantum initio fuisse videntur) hostium manipulos, plures quam 200000 adversariorum (Vell. II: 25).

Manifestissime ei bonum exitum expeditionis significante deo [1]), transiit Calabriam et Apuliam, cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, sic ad Campaniam [2]) processit crescente in dies exercitu [3]). Nam et Q. Metellus Pius, futura in Ligustide exspectans ad eum pervenit et Cn. Pompejus Straboni filius, juvenis 23 annorum a Sylla vocatus, eum adiit, non ante tamen quam beneficio Syllam primum obligasset; brevi post, quum Auximi unam legionem, alias duas in reliqua Piceni parte collegisset, Junium adversus se a senatu missum profligasset, victum, jumenta, plaustra comparasset, Carboni deditas Urbes ad Syllanas partes traxisset, Carbonis equites se petentes ita profligasset, ut in deditionem eosdem acceperit, litteris adventum Syllae nuntiavit, qui his perlectis juvenique coram principibus laudato ipsum brevi

---

[1]) Enumerare fausta sacrificia, prodigia nihil attinet. Fontes tantum indicabo unde cognoscuntur. Ad Tarentum secundis ominibus fruitus Sylla est. Cf. Plut. Syll. 27. Spectrum hoedorum pugnantium vidit, ibid. Mulier anguem peperit, mula peperit, templa Romae, terram latissime deus concussit, sereno coelo tubae vox audita, Capitolii incendium est Syllae praedictum a servo Pontii, quum Silvii esset. Cf. Diod. Sic. XXXVIII vel XXXIX. fr. 5. Plut. Sylla XXVII. Dio Cass. a. Vales. p. 653. Tac. Hist. III. 72. Annal. VI. 18.

[2]) Vellejus II. 25.

[3]) Cf. Liv. Ep. 85. Vell. II. 25.

post honorificentissime excepit [1]). Q. Lucretius Ofella, L. Philippus [2]), Cethegus, antea Syllae molestissimus, Crassus ad Marsos dein a duce missus [3]), Verres tandem, pro viribus Syllae opitulati sunt.

Ab altera parte consules Norbanus et L. Scipio, proconsul Carbo, a civibus haud segniter sunt et opibus et armato milite adjuti. Terrebant enim hosce plebiscita, quibus Syllam hostem judicarant, domus rasa, bona publicata, amici interfecti, genus caedem vix elapsum; quibus permoti et rati optionem inter victoriam aut pessimam perniciem dari, sentim 450 munipulos explevere, consulibus et Carbone ducibus in Campania Syllanis sese opposuere copiis. Non longe a Capua prope Canusium, sub amne Vulturno, montem Tifatam juxta, cum consule Norbano concursum est [4]). Etsi nullo ordine, nulla instructa acie hostes Sylla peteret, paratissimus Syllanorum animus, audacissima ira mox [5]) victoriam ejus proelii dedit; 6000 aut 7000 Sylla interfecit, quum e suis 70 aut 124 tantum amitteret; 6000 capta, multi vulnerati sunt [6]). Norbanus Capuam recessit; grato animo totam regionem Sylla Dianae dicavit. Quum

---

[1]) Haec omnia collegi e Liv. Ep. 85. Joanne Zonara X. 1. Plut. Apophtegm. Reiske Vol. VI. 765, vita Pomp. c. 6, Vict. d. V. I. c. 77. Dio Cass. apud Val. p. 653. Eutr. V. 8.

[2]) Cf. Cic. Verr. 1. 15.

[3]) Cf. Plut. Crass. c. 6.

[4]) Eutr. V. 8, Flor. III. 21, Vell. II. 25, Liv. Ep. 85.

[5]) Flor. III. 21.

[6]) Sunt hi numeri ab Appiano B. C. I. 84. Eutr. V. 8. Oros. V. 20. Plut. Sylla c. 27 allati.

inde Teanum pervenissent Sylla et Metellus, alter iis obvius factus consul L. Scipio, cum manipulis 40 (Plut. Syll. 28), dejecto animo pacisque cupidissimo. Quum prope Scipionem castra posuisset Sylla, legatos ad eum de pace crebro misit, ad interim per emissos milites [1]), pecunia [2]), blanditione, persuasione ad suas partes Scipionis copias traducere conatus. Quamquam rem dissuaderet Sertorius [3]) ad colloquium cum duobus comitibus inter Cales et Teanum, cum Sylla Scipio convenit [4]). Sed quamquam plura colloquia deinde sint habita, ad felicem exitum res non pervenit. Cunctabatur enim Sylla sperans fore ut mox Scipionis ad se deficerent copiae. Visum tandem Scipioni est de tota re mittere ad collegam Norbanum Sertorium legatum. Uterque exercitus interim quietem ageret, donec responsum a Norbano esset. Dimissus Sertorius Suessam praeteriens, ea urbe potitus est. Illegitimum illud facinus (induciae enim erant initae) Scipionem permovit (seu facti conscius fuerit, seu quam causam hujus rei diceret nesciret), uti omnes cum Sylla de ea re actiones interruperit et sic ut jam dubitans exercitus ad Syllam transiret effecerit [5]). Signis translatis, Scipio et filius quum a Sylla occidi potuissent, liberi sunt dimissi [6]) postquam frustra iis persuadere conatus esset Sylla, uti suas partes seque-

---

[1]) Liv. Ep. 85. App. Cic. Phil. IV. 1.

[2]) Diod. XXXVIII. v. XXXIX. fr. 19. Vict. 75.

[3]) Cic. Phil. XII. 11. Plut. Sylla 28.

[4]) Cf. Plut. Sert. c. 6.

[5]) Cf. de his praeter laudatos fontes Eutrop. V. 8, Liv. Ep. 85.

[6]) Liv. Ep. 85, Vell. II. 25.

rentur, additis equitibus, qui eos quocumque vellent comitarentur [1]).

Norbano missi a Sylla legati, seu eosdem et huic intendere dolos voluerit Sylla, seu ab eo timeret, quia semper hucusque major Italiae pars cum consulibus faceret, civium ardor uti vidimus devictos exercitus amplissime reficeret, nullum ab eo responsum tulerunt. Quapropter castra movens Sylla hostiles regiones vastare coepit; quam rem imitatum esse Norbanum Appianus scribit.

Alia proelia hoc anno commissa non sunt. Carbo Romam delatus, Metellum ceterosque a Sylla stantes senatores hostes a senatu declarari curavit. Italiam circumeuntes, ubique suis copiis incrementa quaesituri, relliquias hujus anni consules et Sylla consumpserunt.

Declarati sunt anni 672 consules P. Carbo iterum et Marius, inclyti Marii filius [2]), annos natus 26 vel 27, vir animi magis quam ingenii paterni [3]).

Acerrima anni initio hiems diu quominus manus consererentur prohibuit neque tamen eo magis quietem egit Sylla. Cum Italicis enim populis societatem iniit, se numquam iis esse erepturum nuper datam civitatem promisit [4]). Eo promisso permulti, uti videtur, ad eum trans-

---

[1]) Diod. Sic. XXXVIII vel XXXIX, fr. 19.

[2]) Sic eum dicunt Plut. Mar. 46. Vell. II. 26, Eutrop. V. 8. Perverse Appianus eundem dicit „consobrinum.” Cf. de ejus petitione consulatus Liv. Ep. 86. Victor. d. V. I. c. 48. Plut. Sert. c. 6. Quomodo consulatum auspicatus sit docet Dio. Cass. Vales. p. 645.

[3]) App. Victor 68. Vell. II. 26.

[4]) Cf. Liv. Ep. 86.

ierunt. Non vero omnes Carbonis et Marii partes deseruisse, Samnites praesertim et Lucanos fidissimos mansisse Marii socios, mox apparebit. Ad interim consules etiam quam maxima diligentia bellum repararunt, opes conquisivere, cumque eae non satis abunde sibi affluerent, senatusconsulto aurea et argentea templorum ornamenta conflarunt [1]), ne militibus stipendia deessent.

Veris initio quum Carrinatem [2]) Carbonis legatum prope Aesinum flumen Metellus profligasset, circumjacentes ad eum defecissent regiones, Carbo in insidias eum induxit et copiis cinxit. Haec inter Setium ceperat Sylla, inde Romam procedens Mario obvius factus est, prope Signium ad Sacriportum 85 manipulos in castris habenti [3]). Quum ibi ad pugnam provocatus esset et quamvis fessis itinere imbribusque militibus propter somnium quod viderat pugnam commisisset Sylla, viam patefacturus, qua Dolabella ad se pervenire posset, vix a legatis sibi persuaderi passus est, uti castra metirentur. Cujus rei initium vix fecerant Syllanae legiones, quum ecce adversarios adortus Marius [4]) talem ad iram eos permovit, ut fictis ad fossam hastis, gladiis unice armati impetum in hostes magno clamore fecerint. Laevum Marii cornu quum

---

[1]) Val. Max. VII. VI. 4.

[2]) Cf. Oros. V. 20.

[3]) Pugnae ad Sacriportum fontes Liv. Ep. 86. Vell. II. 26. Victor. c. 75. Flor. III. 21.

[4]) Pugnae non interfuisse Marium, sub divo, dum manus consererentur, requiescentem Victor tradit (d. V. I. c. 75). Cf. Plut. Syll. c. 28 idem narrans, addens hanc esse aliorum quorundam et Fenestellae sententiam.

primum cedere coepisset quinque ad Syllam transierunt peditum, duo equitum manipuli. Fugiens exercitus, partim caesus, partim Norbam confugit, Marius cum majore parte militum, tredecim millibus pondo auri, sex argenti, Praeneste delatus, cum 15000 urbem intravit; at multos ibi etiam amisit, quia portas claudere debuerant Praenestini, propter Syllam accedentem. 20000—25000 ante moenia occisi sunt, captivi facti 8000, Syllanorum 23—400 perierunt [1]).

Captivorum sunt Samnites interfecti ad unum omnes.

Rebus omnibus desperatis, antequam Praeneste intraret, Damasippo praetori [2]) praecepit Marius, ut Romam profectus adversariorum quam plurimos posset interficeret [3]).

Miserrima tunc caede et in curia Hostilia et totam per Urbem periere P. Antistius aedilitius [4]), Papirius Carbo [5]), L. Domitius [6]), Q. Mucius Scaevola, pontifex maximus, divini humanique juris auctor celeberrimus [7]), alii per-

---

[1]) Horum numerorum fontes Plut. Syll. 28. Eutr. V. 8. Claudius Quadrigarius apud Oros. V. 19. A Praenestinis exceptum esse Marium tradunt Liv. Ep. 87. Vell. II. 26. Eutr.

[2]) Qualis hic fuerit docet Val. Max. IX. II. 3.

[3]) Hanc rem ut hic enarrem efficiunt verba Velleji, „*dum* ad Sacriportum dimicaretur, Damasippus," etc. — Illam caedem tradunt Liv. Ep. 86. Vell. II. 26.

[4]) Vell. l. l. Oros. V. 20. Cic. Brut. 90.

[5]) Vell. l. l. Val. Max. IX. II. 3. Oros. l. l. Cic. Brut. l. l.

[6]) Vell. l. l. Oros. l. l.

[7]) Liv. l. l. Oros. l. l. Cic, Brut. l. l. Diod. Sic. XXXVIII vel XXXIX. fr. 20. Flor. III. 21. Aug. d. C. D. III. 28 et 29. Cic. ad Attic. IX. 12 et 15.

multi, quorum corpora aut patibulo affixa [1]), aut a carnificibus unco tracta sunt in Tiberim dejecta [2]).

Praeneste postquam amplissimis vallis circumdederat, L. Ofellam [3]) reliquerat, uti Marium ad deditionem fame cogeret, Romam petivit Sylla; nonnullis urbibus quum praeteriret in deditionem acceptis, nulla resistentia Urbem intravit; exercitu ex parte ante portas relicto, ipse in forum processit, bona adversariorum, qui fuga majore ex parte se substraxerant publicavit; populum in comitia convocans, animos firmavit, res ordinavit, relictisque amicis quibusdam incredibili diligentia in Italiam superiorem profectus est, uti cum Metello et ex ea hostes ejiceret. Carbo audita ad Sacriportum victoria Urbem Senam videns a Pompejo occupatam et direptam et juxta eam Marcium legatum fugatum, immo novissimi sui agminis a Pompeji equitibus magnam partem concisam recesserat, exercitum amiserat, cujus multos interfecerat, quinque manipulos receperat Metellus. Quum ita tandem Clusium pervenisset a tribus mox partibus est petitus.

Nam Metellus Ariminum classe praetervectus, e Ravenna prorumpens Uritanam regionem, frumenti feracissimam occupavit; Pompejus et Crassus e Piceno prorumpentes Umbriam intrarunt et in agro Spoletino 3000 Carrinatis, Carbonis legati, milites interfecerunt ipsumque in urbe circumdederunt. Sunt quidem a Carbone milites

---

1) Val. Max. l. l.

2) Vict. d. V. I. c. 68. Oros. l. l.

3) Cf. Liv. Ep. 88. Vell. II. 27.

auxilio Carrinati missi, sed in insidiis hos esse a Sylla petitos, eorumque ad 2000 interiisse traditum est. Pluvia tandem nocte Carrinas ex urbe effugit, et quamquam strepitus a Pompejanis animadverteretur, nullis tamen ab his molestiis affecti sunt, tuto ad Carbonem pervenerunt. Duabus manibus ipse Sylla a Roma profectus altera ad Saturniam copias Carbonis devixit, altera cum equitibus Celtiberis, Carboni ex Hispania missis, apud Glanim fluvium manus conseruit; 50 interfectis, 270 ad eum transfugerunt; quod ubi vidisset Carbo ceteros omnes necavit et ad Clusium recedens pugnam denuo commisit [1]). Ibi quum a diei ortu ad vesperam pugnatum esset tenebrae pugnam diremerunt, victoria a neutro reportata. Longius tamen non processit Sylla, seu Carbonis copiae firmiter resistentes quominus progrederetur eum impediverint, seu Praenestini exercitus sorte ad recessum impulsus sit. Eo enim et M. Perperna, Siciliae praetor, pervenire tentaverat et cum 8 legionibus dimissus Marcius erat, ut obsidione Marium liberarent, dum parari et Lucanorum et Samnitium maximas copias nuntiaretur. Et Perperna quidem videtur frustra Praeneste tetendisse [2]), Marcii copiarum traduntur in insidias multae esse interfectae, ceterae in colle a Pompejo obsessae, quumque inde se expedivissent noctu, ignibus non extinctis castra relinquentes, dein partim Ariminum, partim ad domicilia sua rediisse, 17 manipulos cum Marcio ad Carbonem pervenisse. His periculis amotis, eum in modum Lucani Sam-

---

[1]) Cf. Liv. Ep. 88.

[2]) Cf. Diod. Sic. XXXVIII v. XXXVIIII. fr. 17.

nitesque Syllam terrebant, ut summa sit diligentia Praeneste profectus, eos ibi saltus occupaverit, quibus unice oppidum adiri posset. Venerat admodum tempestive Sylla. Mox enim 70000 (immo 80 millia a nonnullis afferuntur) Lucani Samnitesque milites, tribus ducibus Pontio Telesino, Lamponio, Capuano Gutta eos saltus petivere, frustra Romanos pellere conati sunt. Eadem sorte usae Damasippi duae legiones a Carbone eo dimissas, vi pervios saltus facere nequeuntes.

Haec inter meliore uti fortuna coepere copiae in tractibus septentrionalibus, ubi multis copiis dimissis minus quam antea Carbo valebat. — Ibi enim M. Lucullum profligaverat et Placentiae obsiderat Norbanus, deinde vero, relictis copiis quibusdam, Metellum prope Faventiam [1]) fessis militibus unam horam ante noctem petivit. Profligatus et in loca delapsus vitibus consita, 9000—10000 amisit, 6000 ad Metellum transfugerunt, 1000 tantum Arretium ducem comitati sunt [2]). Ea re nuntiata prorupit et Placentia Lucullus [3]), quumque dubium ducem levis aura, floribus milites conspargens, bono omine confirmasset, repentina pugna prope Fidentiam hostes adortus, 10000—18000 [4]) interfecit, hostilia castra cepit. Albinovani legio ad Syllanos transfugiens ducem iratum reliquit: quem quum paucis diebus post fidei poeniteret, proposuit

[1]) Cf. Liv. Ep. 88.

[2]) Hos numeros praeterquam ex Appiano et Plut. effeci ex Oros V. 20.

[3]) Liv. l. l. Oros. V. 20.

[4]) Numerus ab Oros. allatus.

Syllae ut memorabile quid ei perficiens in gratiam cum eo rediret. Accepta condicione, ad coenam Norbanum ceterosque ejus exercitus principes vocavit; venere omnes Norbano excepto, suntque ad unum omnes crudelissime trucidati. Nominantur horum Flavius Fimbria, Antipater. Albinovanus ad Syllam confugit.

Quum deinde Ariminum quoque ad Syllanos defecisset ejusdem Albinovani [1]) proditione, Norbanus privato conscenso navigio Rhodum abiisset, omnes inter Alpes et Ravennam regiones transiissent ad partes Syllae, Carbo consul adhuc, Norbani exemplum imitatus, patriam reliquit [2]), in Africam transiit, etsi 30000 milites haberet, aliasque praeter hos circum Marcium et Carrinatem copias, Samnitium exercitus insignissimus ad Praeneste cum illo faceret. Duce orbatas copias petivit Pompejus, horum 20000 interfecit; nonnulli domicilia repetiverunt; ceteri omnes sunt a Carrinate Praeneste abducti.

Munitissimam illam urbem [3]), (celsissimo enim in monte aedificata est et una tantum a parte angustissimo aditu cum adjacentibus est locis conjuncta, quum cuniculis miro opere fabricatis inde ad regiones vicinas facillime perveniatur), sed ob eandem rem infelicissimam, (omnes enim rerum novarum auctores eo confugere quum devicti essent et suis calamitatibus et cives implicare Praenestinos solebant) relinquere frustra Marius tentaverat [4]) per plures

---

[1]) Pseudo Asc. p. 168, Orell.

[2]) Cff. Vict. 75. Liv. Ep. 88. Eutrop. V. 8. Oros. V. 21.

[3]) Cff. Vell. II. 26. Strabo V. Casaub. p. 238, 239.

[4]) Cf. Liv. Ep. 87.

dies machinis L. Ofellae munitiones adortus; tandem missis conatibus urbem denuo intrarat. Finito haec inter in Etruria bello, Pompejus a tergo circumdare Pontium Telesinum Lamponiumque parabat, ut intra Syllanos et suos tantopere premeret Lucanos Samnitesque, uti aut abire cogerentur, aut omnino delerentur. Hoc autem Pontius quum sensisset, consilium cepit, quod et a Sylla et a Pompejo haud exspectatum Romam ipsam perdidisset, nisi incredibilis Syllae celeritas, Telesini mirabilis cunctatio in servanda urbe conspirassent. Pridie enim Kalendas Novembres [1]) noctu Romam profectus Telesinus mille passus circiter a portis Collinis castra posuit. Prima luce qui se ei objecere juvenes e principibus, magna ex parte concidit, (Appium inter eos Claudium). Quum interim Romae, ut in tali re fit, clamor undique consurgeret, mulieres ac si jam capta Urbs esset ulularent, propere Romam delatus est a Sylla demissus Balbus cum equitibus 700. Vix ille equis reficiendi vires tempus concessit: statim paene hostes petivit. Simul fere aderant et Syllani pedites, qui cum coenare jussi essent, statim post in aciem producti sunt, spretis Dolabellae et Torquati consiliis orantes Sullam „ne pugnam statim committere vellet; milites esse fessos: diem esse majore ex parte elapsum; pugnam ineundam cum audacissima pertinacissimaque in armis retinendis juventute, perfacile sic omnia posse in summum adduci discrimen."

Acerrime utrimque certatum est; prae ceteris Telesini Pontii acritas laudatores invenit scriptores antiquos; cir-

---

[1]) Vell. II. 27.

cumvolans enim ordines, Romanis dictitans ultimum adesse diem, „eruendam delendamque esse Urbem" vociferabatur, adjiciens „numquam esse defuturos Italiae raptores libertatis lupos nisi sylva in quam refugere solebant esset excisa."

Cornu dextrum, quod Crasso utebatur duce, de hostibus haud dubiam reportavit victoriam; at laevum ab adversariis ita premebatur uti equo celerrimo vectus his auxilium ferre properaverit Sylla. Equisonis quum a certa morte eum servasset dolus, ad alam illam quam hostes premebant pervenit, a fuga vero eam retinere non potuit.

Precibus enim etsi alios, alios minis retinere conaretur, manum hic illic fugientibus immiteret, aureum Delphici Apollinis simulacrum lacrymans osculaverit, deum ipsum sit obtestatus „ne tot pugnis elapsum ducem ante patriae moenia oppetere sineret," sensim paullatimque Syllani recessere, fuga tandem moenia Romana petivere, ipsum ducem secum trahentes. Multis in ea pugna amissis, plurimis etiam qui rei adspiciendae causa Urbem exierant exanimatis, quum haec inter nonnulli ad Ofellam confugerent, eique suaderent „uti Praeneste quam primum relinqueret, desperatas res esse omnes, Syllam cecidisse, copias ubique esse profligatas," portae sunt Romae clausae et invitus coactus est exercitus Romanus pugnam cum adversariis resumere. Incredibili tunc contentione dimicatum est; primam demum post noctis horam Romana acies respiravit, hostium cessit. Per totam noctem pugnatum est. Media nocte Crassi nuntii cum Sylla communicarunt, se vicisse et ad Antemnam usque esse hostes persecutos. 3000 ad Syllam Samnites transiere et maximam promissa impu-

nitate suorum stragem edidere. Summo mane tandem proelii caedisque factus finis est. Inter mortuos inventi sunt Albinus, Telesinus Pontius, victoris ut Vellejus fert magis quam morientis vultum praeferens.

De numero occisorum captivorumque est inter scriptores dissensio; si vel moderatissimos audiamus, perierint tamen 50000. Capta sunt etsi neminem vivum capere jussisset Sylla (Strabo) 3 vel 4 millia [1]). Urbem maximo gaudio intrans [2]), Romanos ad concionem vocavit Sylla, futuras et adversariorum caedes et regiminis mutationes promisit. Captivos omnes in Campum Martium abducens, (quasi per tribus esset eos distributurus), omnes armatis circumdedit, interficique jussit [3]). Miserrimus sic exortus clamor auditus a Senatu est, quem in templo Bellonae coegerat Sylla, quumque omnes vehementissime commoverentur, a sedibus consurgerent, sereno vultu Sylla „maleficos," inquit „quosdam ibi suo jussu poena affici; se poscere uti ea quae diceret senatores attenderent."

Ab eo inde tempore inintermissae [4]) vexaverunt Urbem caedes propositaeque sunt tabulae proscriptionis; quas, quia a proposito meo sunt alienae, nominasse tantum sat habebo.

---

[1]) Fontes hujus pugnae sunt Liv. Ep. 88, Eutrop. V. 8, Victor d. V. I. c. 75, Oros. V. 20, 21 (alium captivorum numerum afferens), Vell. II. 27, Flor. III. 21, Strabo V. Casaub. p. 249, 250.

[2]) Cf. Plut. Mor. Reiske vol. IX. p. 143.

[3]) Cf. Liv. Ep. 88, Flor. III. 21. Aug, d. Civ. Dei III. 28, Cass Dio apud Vales. p. 654.

[4]) Cf. de iis Oros. V. 21. Liv. Ep. 88.

Ad interim Telesini [1]), et triduo post interfectorum Marcii, Carrinatis, Damasippi, M. Marii abscissa capita L. Ofellae missa, hastis praefixa sunt Praenestinis ostentata. Qua re ad desperationem permoti oppidani urbem dediderunt [2]).

Marius cum per cuniculum evadere captaret, ab hostibus in eo deprehensus est. Foraminibus enim cuniculos omnes inspiciebant custodes. Concurrens cum Telesini Pontii fratre minore mutuis sese ictibus percussere, quumque adhuc vivere posset Marius, a servo occidi se jussit. Caput Marii ante rostra expositum. Praeneste delatus ipse Sylla primum legatos omnes, quaestores, tribunos, praefectos Marianae factionis interfecit. Singulorum dein audivit defensiones; omnes tandem, 12000 numero, quasi tempus deficeret in unum coegit, Romanos absolvit, Praenestinos Samnitesque interfici ad unum omnes jussit [3]). Relliquiae belli Norbae (quae ab Aemilio Lepido capta est), Populonii, Volaterris (ab ipso Sylla obsessae urbes) Tuderti (a Marco Crasso) sunt sensim paullatimque compositae.

Romanorum proscriptiones Italicorum crudelissimae neces secutae sunt. Innumeri enim in judicium vocati, qui aut praetura, aut alio quodam munere, aut militia in Marianis copiis functi erant, opibus vel qualibet re adversarias opitulati

---

[1]) Cf. Cass. Dio apud Val. p. 654.

[2]) Omnes tandem fame coactos reliquisse Marium milites et ad hostem transisse tradit Diod. Sic. XXXVIII v. XXXIX, fr. 17 et 18.

[3]) Hujus expugnationis fontes Liv. Ep. 88, Vell. II. 27, Val. Max. VI. VIII. 2, ibid. IX. II. 1, Vict. 68, Frontinus II. 9, 3, Plin. XXXIII. 16, Oros. V. 21.

erant. Immo exitio erant hospitia, amicitiae cum adversariis, pecuniae mutuationes, conventus cum hoste, *cogitationes* Syllae ejusque factioni adversae [1]). Quum tandem singulae, quae in jus sisti possent personae, deficerent, totis de civitatibus sunt judicia habita. Et hic prae ceteris Samnitium, Tuscorum et Lucanorum cladis mentio fiat necesse est. Tali enim odio hosce persecutus est Sylla, ut nullam umquam Romanis fore quietem putare videretur, nisi ultimus [2]) Samnitium oppetivisset. Innumeri itaque cecidere Samnites, sed et Tuscorum Lucanorumque haud pauci desiderabantur. Urbibus aliis sunt arces dirutae, moenia ademta, omnibus incolis communes poenae affectae, immensa vectigalia imperata.

Spoletio, Volaterris [3]), Arretio [3]), Praenestae, Florentiae, Interamnae agri ademti sunt. Illis etiam, si ex Artetii exemplo aliquid effici liceat, civitas ademta (etsi rale quid detrahi non posse et Cicero [4]) et posteriores jurisconsulti dixerint). Complures plane perierunt: Samnii saltem urbes omnes exceptis Benevento Venusiaque, itaque Buanum, Aesernia, .Panna, Telesia [5]); sed et in alia regione Sulmo [6]) solo aequata: certisis-

---

[1]) Cf. Plin. H. N. XXXIII. 144, 145, Liv. Ep. 88, Oros. V. 21, Ascon. Orell. p. 90, Schol. Bob. Orell. p. 293, Cic. ad Attic. IX. 15, Flor. III. 21, Diod. Sic. XXXVIII. v. XXXIX. fr. 23.

[2]) Strabo V. Casaub. p. 249.

[3]) Cic. ad Attic. I. 19, 4.

[4]) Cic. pro Caec. 22.

[5]) Strabo V, Casaub. p. 250, Flor. III. 21.

[6]) Flor. l. l.

meque et aliarum etiam regionum oppida permulta quorum nomina ad nos non pervenerunt. Etruriae incolae suis orbati per pristinas possessiones praedones errabant, aegerrime ferentes, sua esse Syllanis militibus concessa. Nam 27 legionum curandarum causa, 120000 veteranis agros assignaverat, colonias deduxerat militares, in Etruriam praecipue Sylla.

Tota Italia nunc fruebatur civitate Romana; sed plane quaedam nationes ex ea evanuerant, et a civibus Romanis erant excepti.

De Syllae institutis agere ab incepto meo alienum videtur. Dehinc enim de sociis et foederatis in Italia mentio nulla fieri potest; nam evanuerant qui tales fuerant et in civitatem abierant. In quam quomodo ii pervenerint quia explicare ab initio mihi proposui, operi hic finem imponere potero.

THESES.

THESES.

I.

Drusi, tribuni plebis anni ante Chr. n. 91, indoles nimiis laudibus effertur a recentioribus.

II.

Apud Appianum (B. C. libr. I. c. 27) nomen tribuni plebis Spurii Thorii ab altera lege ad tertiam transferendum videtur.

III.

Orosius, praeterquam e fontibus a Bernhardy (Grundr. d. Röm. Litt. pag. 696) laudatis, e Livio praecipue permulta hausit, immo verbotenus hic illic eum descripsit.

IV.

Non assentior Mommsenio (R. G. II. p. 232) contendenti expeditionem Judacilii, in patriam Asculum, eandem esse atque pugnam, a Franco imperatore ad eandem urbem commissam.

V.

Syllae dolus a Frontino (I. V. 17) laudatus referendus mihi videtur ad primum belli Socialis annum, quo adhuc obsidebatur a sociis Aesernia, non ad expeditionem a Sylla deinde adversus Samnitas susceptam.

VI.

Incuriae Diodori tribuendum videtur, uti qui apud ceteros scriptores C. Papius Mutilus audiat, apud eum C. Aponius Motilus, brevi post M. Aponius Motilus dicatur.

VII.

Initio belli Marsici videtur urbs Pinna cum sociis fecisse, dein ad Romanos defecisse.

VIII.

Non fieri potest, ut locus Plinii (Hist. Nat. XXXIII. 55) „Initio belli socialis auri pondo $\overline{\text{XVI}}$ XXDCCC XXXI fuit in aerario" non sit corruptus.

IX.

Nomen Minturnarum apud Appianum (de B. C. libr. I. c. 42) mutandum videtur in Liternum.

X.

Post cladem Caepionis, cui cum Mario exaequatum fuerat imperium, duas esse prosperas pugnas a Mario cum Marsis commissas, Mommsenius scribit. Cui ea in re assentiri non possum.

XI.

Praecipua Umbrorum Tuscorumque defectio causa fuit, cur anno a Chr. n. 90 ferretur lex Julia de civitate sociorum.

XII.

Lex Plotia Papiria eo videtur consilio lata, ut quam plurimi Italiotae ex ordinibus sociorum ad Romanos transfugerent.

XIII.

Non faciendum videtur cum Kienio (de bello sociali) contendente, per sex continuos annos, post latas leges Juliam et Plotiam Papiriam, legitimo suffragio novos cives caruisse.

XIV.

Omni sensu caret fragmenti 17 libr. XXXVII Diodori βιβλιοθήκης inscriptio ὅρκος Φιλίππου. Certissime nullus umquam violentius obstitisset tali jurijurando quam Philippus.

XV.

Cicero, quum intelligeret Archiam poetam injuria jus civitatis sibi arrogare, ad eloquentiae artes confugit, quibus judicum animos captaret.

XVI.

In loco Livii (libr. V. c. 34) lego: is quod *ejus ex* populis abundabat Bituriges, Arvernos, Senones, Aeduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit. — Praetulerim. „Is, quod e VI. populis abundabat, Bituriges, Arvernos, [Senones], cett.

XVII.

Apud Xenophontem (Oec. XVI. 7) pro καταστήσαντες legendum καταστάντες.

XVIII.

In Horatio (Carm. II. 20. 13)

Iam Daedaleo *ocior* Icaro
Visam gementis littora Bospori

Rauchensteinii conjectura pro *ocior* legentis *doctior* probanda est.

XIX.

In Horatio (Sat. I. 6. 75) vulgatae lectioni

Ibant octonis referentes Idibus aera

tam sententia quam verbis praestat altera haec.

Ibant octonos referentes Idibus aeris.

XX.

In loco Taciti (Ann. XII. 60) pro verbis „Serviliae leges" legendum videtur „Corneliae leges."

XXI.

In Thucyd. VI. 18 *καὶ μὴ ὑμᾶς ἡ Νικίου τῶν λόγων ἀπραγμοσύνη καὶ διάστασις τοῖς νέοις ἐς τοὺς πρεσβυτέρους ἀποστρέψῃ*, legendum puto *ἀποτρέψῃ*.

XXII.

Ibid VI. 19 lego *καὶ ὁ Νικίας γνοὺς ὅτι ὑπὸ μὲν τῶν αὐτῶν λόγων οὐκ ἂν ἔτι ἀποτρέψειε* pro vulgato *ἀπὸ μὲν τῶν αὐτῶν λόγων*. Eodem vitio laborare videtur VIII. 48 *τῶν ἀπὸ Ἀλκιβιάδου πρασσομένων*; III. 48 *οἷς οὐδὲ ἐγὼ ἐῶ προσάγεσθαι, ἀπ' αὐτῶν δὲ τῶν παραινουμένων*; I. 24 *ἀπὸ πολέμου τινὸς τῶν προσοίκων διεφθάρησαν*; I. 12 *ἀφ' ὧν ἐκπίπτοντες*.

XXIII.

Longiores illae formae delendae, quas adhuc apud Thucydidem occurrere video, v. c. libr. IV. 92 *κτάσθωσαν*; III. 42 *πεισθείησαν*; III. 39 *κολασθήτωσαν*. Substi-

tuendae hisce sunt breviores *κτάσθων*, *πεισθεῖεν*, *κολασθέντων*, etc.

XXIV.

Apud Thucydidem III. 66 *καὶ ταῦτα τρεῖς ἀδικίας ἐν ὀλίγῳ πράξαντες, τήν τε —, καὶ —, καὶ τὴν περὶ αὐτῶν ἡμῖν μὴ κτείνειν ψευσθεῖσαν ὑπόθεσιν, ἣν τὰ* etc, legendum puto *ψευσθεῖσαν ὑπόσχεσιν*, quod in codice Leidensi repperi.

XXV.

Idem codex Leidensis pro vulgatis in Thucyd IV. 66, *τὰ μὲν ὅμοια οὐκ ἀνταπέδοτε ἡμῖν, μήτε νεωτερίσαι ἔργῳ, λόγοις τε πείσειν ὥστε ἐξελθεῖν*, lectionem suppeditat *πεῖσαι ὥστε* etc.

XXVI.

Apud Thucyd. I. 129 hunc in modum puto Xerxem scripsisse

καί σε μήτε νὺξ μήτε ἡμέρα ἐπισχέτω ὥστε ἀνεῖναι πράσσειν τι ὧν ἐμοι ὑπίσχνῃ, μηδὲ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου δαπάνῃ κεκώλυσο pro vulgato *κεκωλύσθω*.

XXVII.

In Sophoclis Pilocteta v. 1032 pro

πῶς θεοῖς εὔξεσθ, ἐμοῦ
πλεύσαντος, αἴθειν ἱρά; πῶς σπένδειν ἔτι;

legendum puto cum Piersonio

πῶς θεοῖς ἔξεστ', etc.

XXVIII.

In ejusdem Antigona versu 58 mutandum.

μόνω — λελειμμένω pro

μόνα — λελειμμένα, et similis medicina adhibenda in Oed. Col. 445, 859, 1149, 1601, Electra 950, 985, 1133 etc.

XXIX.

Non facimus cum iis, qui Herodotum (libr. III. c. 119) imitatum esse Sophoclem (Antig. 909—912) statuunt.

XXX.

Duobus modis Servius versum 860, libri VI, Aeneidos Virgilii explicat. — Horum posterior tantum placet.

XXXI.

Male Buttmann (Ausführl. Griech. Sprachl.) post hujuscemodi verba:

Ist nun, wo die Inclination eintritt, das unmittelbar vor einer Enclitica stehende Wort ein Proparoxytonon oder Properispomenon, so wirft sie ihren Accent, doch jedesmal als Akutus, auf die Schlussilbe desselben:

haec scripsit:

Man nimmt von dieser Vorschrifft den selten vorkommenden Fall aus, da die vorhergehende Endsylbe durch Position lang wäre, also z. B. *ὁμῆλιξ μοῦ*.

XXXII.

Data optione inter hierarchiam et id regimen quod militum ope praesertim nititur, posterior eligenda est.

XXXIII.

Vicarius Maurits jure capitis damnasse videtur Oldenbarneveld.

XXXIV.

Propria sunt in lingua nostra impersonalia passiva tantum verborum intransitivorum.

Thesis XXXIII aldus te lezen:

Jure capitis damnatus esse videtur Oldenbarneveld.



TYPIS A. W. SYTHOFF.